
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
12 B
41
ROMA

Nodus Gordius
SEV
DE VOCATIONE MINISTRORVM DISPVTATIO.

IN QVA DECEM DEMONSTRATIONIBVS OSTENDITVR MINIstros Euangelicos non esse veros verbi Dei & Sacramentorum ministros.


A P. MARTINO SMIGLECIO SOCIETATIS IESV, S. Theologiæ Doctore.





Permissu Superiorum.

INGOLSTADII,
Excudebat ANDREAS ANGERMARIVS.
ANNO M. DC. XIII.



DEMONSTRATIONES DECEM, QVIBVS OSTENDITVR MINISTROS EVANGELICOS non esse veros verbi Dei & Sacramentorum ministros.

PRIMA DEMONSTRATIO.



Vicumque legitima vocatione & missione est destitutus, non potest esse legitimus Euangelij minister.

Ministri Euangelici sunt legitima vocatione & missione destituti,

Non sunt igitur legitimi Euangelij ministri:

SECVNDA DEMONSTRATIO.

Veri & legitimi ministri ritè ordinari & consecrari debent.

Ministri Euangelici non sunt ritè ordinati & consecrati:

Non sunt igitur legitimi ministri Euangelij.

TERTIA DEMONSTRATIO.

Quicunq; potestate remittendi & retinendi peccata carent, non sunt legitimi Euangelij ministri:

Ministri Euangelici carent huiusmodi potestate:

Non sunt igitur legitimi Euangelij ministri.

QVARTA DEMONSTRATIO.

Ministri legitimi sunt Sacerdotes offerentes Deo sacrificiũ.

Ministri Euangelici non offerunt Deo sacrificium Noui Testamenti:

Ergo non ſunt miniſtri legitimi Noui Teſtamenti.

QVINTA DEMONSTRATIO.

Chriſtus ſuis miniſtris dedit poteſtatem conficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui.
Hanc poteſtatem nec habent, nec agnoſcunt Miniſtri Euangelici:
Non ſunt igitur veri Chriſti miniſtri.

SEXTA DEMONSTRATIO.

Legitimi miniſtri ſunt diſpenſatores Sacramentorum.
Miniſtri Euangelici non ſunt diſpēſatores ſed diſſipatores Sacramentorum:
Non ſunt igitur legitimi miniſtri.

SEPTIMA DEMONSTRATIO.

Miniſtri veri ſunt Eccleſiæ Catholicæ miniſtri.
Miniſtri Euangelici non ſunt Eccleſiæ Catholicæ miniſtri:
Ergo non ſunt veri miniſtri.

OCTAVA DEMONSTRATIO.

Miniſtri legitimi ſunt veri verbi Dei miniſtri.
Miniſtri Euangelici non ſunt veri verbi Dei miniſtri:
Non ſunt igitur legitimi miniſtri.


NONA DEMONSTRATIO.

Miniſtri Euangelij fructum adferunt Euangelio dignum, hoc eſt, vitæ ſanctimoniam.
Hunc fructum non adferunt Miniſtri Euangelici:
Ergo non ſunt veri Euangelij miniſtri.

DECIMA DEMONSTRATIO.

Miniſtris veris DEVS cooperatur, & ſermonem confirmat ſequentibus ſignis.
Miniſtris Euangelicis nunquam eſt cooperatus DEVS, neq; ſermonem eorum confirmauit ſequentibus ſignis:
Non ſunt igitur veri miniſtri.

NODVS



NODVS GORDIVS SEV De vocatione Ministrorum Disputatio.

IN QVA DECEM DEMONSTRATIONIBVS OSTENDITVR MInistros Euangelicos, non esse veros verbi Dei & Sacramentorum ministros.

CAPVT I.

Disputationem de vocatione Ministrorum maximè necessariam esse.



Odum Gordium iurè dixerim esse eã, quæ de vocatione Ministrorum est, disputationem. Nam si semel eum nodum Euangelici dissoluere possent, facilè finis imponeretur omnibus de Religione disputationib. Quorsum enim tot clamores excitantur de Missa, de vtraq; specie, de imaginibus, de Sanctorum inuocatione, de Purgatorio, & aliis fidei nostræ articulis? Statuatur semel, an qui hæc docent, sint veri Christi & Ecclesiæ Ministri, necne? & simul statuetur doctrinam eorum esse veram, vel falsam. Veri enim Ecclesiæ Ministri falsam doctrinã docere

Inscriptio libri explicatur.

Veri Ministri falsam nõ docent.

Veri Ministri falsa nō docent. docere nō possunt, cùm Deus nō nisi per Ministros à se cōstitutos nos doceat, & nobis loquatur: illos con-
Eph. 4. ℣. 12. stituit *Pastores & Doctores ad consummationē Sanctorum*
Actor. 20. ℣. 28. *in opus ministerij, donec occurramus omnes in vnitatē fidei & agnitionis filij Dei. Illos posuit regere Ecclesiam Dei, quā acquisiuit sanguine suo*: illis obediendum præcepit, ita vt *nisi quis eos audierit, habendus sit sicut Ethnicus & Publicanus*. Nomine enim Ecclesiæ Prælatos & Ministros
Matth. 15. ℣. 17. Ecclesiæ eo loco intelligi omnes fatentur. quibus etiam ibidem dicitur: *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Quare si veri Ministri falsum docere possent, Deo ipsi ea falsitas tri-
1. Thes. 2. ℣. 13. buereretur, cùm per illos nobis loquatur DEVS: &
2. Cor. 5. ℣. 20. velit, vt *verbum illorum, non vt verbum hominum, sed vt vere est verbum Dei, accipiamus.* Et: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Quare Paulus non dubitat dicere: *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*: nempe DEVS ponit verba sua in ore hominum, & ore ac verbis hominum nobis loquitur; ceterosq; nos reddit, vt quam illorum dictis fidē adhibuerimus, sibi ac Christo fidē nos adhibere, nobis persuadeamus.

1. Cor. 12. ℣. 29. Noluit Ecclesiam suam instituere Christus, vt omnes in ea essent Doctores & Pastores. sed quosdam posuit Doctores, alios voluit esse discipulos: quosdam dedit Pastores, alios voluit esse oues Pastoribus suis subiectas & obedientes, quod certè constare non posset, si à Doctoribus & Pastoribus suis decipi, & in errorem induci possent, neque enim eorum iudicio & imperio securè quis acquiesceret, quos cogitat fallere posse. Quare si eam fidei regulam

gulam

gulā sequamur, vt veris Christi & Ecclesiæ Ministris fidem certā adhibeamus, facilè intelligemus, verum esse, quicquid veri Dei & Ecclesiæ Ministri docent. siue doceant Missam, siue Sanctorū inuocationem, siue imaginum vsum, siue quæuis alia dogmata de quibus hodie inter nos & Hæreticos controuertitur: & sic breui compendio de omnibus controuersiis disputabimus, si de vocatione Ministrorum disputationem instituerimus; eoque solo responso ignea tela aduersariorum extinguemus, si illos non legitimos Ministros Ecclesiæ demonstrauerimus, quibus proinde docentibus non sit fides adhibenda. Ex altera verò parte Ecclesiæ Catholicæ Ministros vera docere de Sacramentis, Sanctorum & imaginum cultu, remissione peccatorum, eò quòd sint veri & legitimi Dei & Ecclesiæ Ministri.

Disputatio de vocatione Ministrorum est breue compendium omniū controuersiarum.

Decem igitur demonstrationes adferemus, quibus sicut clarissimè ostenditur Ministros Euangelicos non esse veros & legitimos ministros: ita Catholicos Ministros veros esse atque legitimos. Porrò hæ demonstrationes non ducentur ex rebus æquè magisuè incertis, vti aduersarij facere sat ineptè & insullè solent. interrogati enim an sint veri Ministri? respondent: ita. siquidem verum Dei verbum doceant, quod æquè incertum est ac illud, an sint ipsi veri Ministri. & qui illos negat esse veros Ministros, negabit pari ratione eos esse veri verbi Dei doctores. Vnde & disputationis status non seruatur, cùm transitur à materia in materiam; & cùm disputatio instituitur de vocatione Ministrorum, ea relicta, disputatur de verbi Dei vera intelligentia quod quid aliud est, quàm declinare à proposita & suscepta materia disputatio-

Propositio libri.

disputationem, & aliò se transferre? Vt igitur intra terminos propositæ disputationis maneamus, inuestigare debemus veros Ministros ex proprijs ipsorũ notis in scriptura traditis, & ex propria eorum officij ratione. Verbi causa. Ministros legitimos scriptura vult esse à Deo vocatos, ritè ordinatos, potestate multiplici præditos ad remittenda peccata, ad Sacramenta administranda, ad sacrificium offerendum, ad prædicandum Dei verbum: Vult præterea esse Ministros non cuiusuis Ecclesiæ, sed illius duntaxat quam Christus ædificauit supra petram, cuique Spiritũ veritatis promisit vt maneret in ea in æternum. Præterea ex fructibus eorum eos esse cognoscendos dicit. qui fructus præcipuè est sanctitas & integritas vitæ. Miracula denique sunt cœlestia de ministris testimonia. Ex his igitur tanquam ex proprijs deriuanda erit controuersia, Catholicine an Euangelici Ministri sint veri ac legitimi?

Vnde Ministri veri sint inuestigandi, & vnde proposita controuersia sit deducenda.

PRIMA DEMONSTRATIO.

Quicumque legitima vocatione & missione est destitutus, non potest esse legitimus Euangelij minister.

Ministri Euangelici sunt legitima vocatione & missione, destituti.

Non sunt igitur legitimi Euangelij ministri.

CAPVT II.

Nullum legitimum Euangelij Ministrum dici posse, qui sit legitima vocatione & missione destitutus.

PRima & præcipua Ministrorum nota est, diuina vocatio, electio, missio, quam tanti facit commendatque scriptura, vt nemo qui ea est destitutus in Ministrorum numero & ordine censeri debeat.

Verorum Ministrorum vocatio ex scriptura ostenditur.

debeat. Sunt tria illuſtria loca quæ id docent.

Primus eſt ad Hebr: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Affirmat hic Apoſtolus, neminem ſibi (hoc eſt propria autoritate) poſſe aſſumere honorem & officium Eccleſiaſticum, niſi fuerit vocatus, non quomodocumque, ſed ad eum modum quo Aaron. Legimus autem Aaron iuſſu & mandato Dei à Moyſe conſecratum & conſtitutum Sacerdotem eſſe, ab eoque poteſtatem omnem, in his quæ ſunt ad Deum, accepiſſe. quaſi nefas ſit ea quæ Dei ſunt, in populo Dei tractare niſi iuſſu, imperio, & mandato Dei. At longè maius & illuſtrius eſt Chriſti ipſius exemplum. Si enim is cùm Deus eſſet, & Dei veri filius, noluit ſeipſum clarificare vt Pontifex fieret, ſed à Patre clarificari debuit, & teſtimonium ſuæ vocationis accipere; quanto minus id conuenire poteſt alijs Miniſtris, niſi diuino teſtimonio ſuam vocationem oſtendant. Quam etiam ob cauſam Chriſtus dicere non dubitauit, Iudæos peccatum non habituros fuiſſe, ſi ipſi non crederent, niſi opera admiranda, quæ nemo alius fecit, feciſſet. *Si opera*, inquit, *non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quod ſi Chriſtus verus Dei filius ſine miraculis credi ſibi noluit, neque quenquam ad credendum ſibi obligare: multò minus alijs diuinam vocationē ore crepantibus, fides adhiberi debet; niſi certum aliquod eius rei teſtimonium oſtendant.

Alter locus eſt ad Rom. *Quomodo verò prædicabunt,*

Hebr. 5. ꝟ 4.

Leuit. 8.

Ioan. 15. ꝟ. 24.

Rom. 10. ℣. 15. *nisi mittantur, sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* ἀδύνατον est Apostolo, vt quis prædicandi officium assumat; nisi sit legitimè missus. *Quomodo,* inquit, *prædicabunt?* ac si diceret: non potest id vllo modo fieri, est que impossibile. Quod si tantus Apostolus, modum non inueniebat quo id fieri posset; quis alius inueniet? Neque verò id nudè solùm asseruit, (quod satis esset) verum etiam testimonio scripturæ ex Isaia adducto, confirmauit. *sicut* inquit, *scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem.* Nimirum pulchri gressus & speciosi pedes eorum sunt, qui veniunt ordinatè, & legitimè missi; eorum verò pedes nunquam speciosi erunt, qui currunt licet legitima missione destituti. Pulchrum enim semper est ordinem obseruare, superioribus potestatibus obedire, & ab ijs potestatem in se deriuatam habere.

Ierem. 23. ℣. 21. Tertius locus est apud Ieremiam: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Conqueritur hoc loco Deus de Prophetis non missis, caputque querimoniæ in eo solùm constituit, quòd non missi à Deo, cucurrerint & prophetarint, & officium sibi assumpserint, quod Deus illis non imposuit. Ideoque grauissimè illis comminatur: *Ecce* inquit, *ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle.* Quam pœnam proculdubio nullus effugiet, qui seipsum intruserit in Ministri officium, Diuina vocatione prætermissa.

Idem probatur ratione. Potest idem ratione quoque explicari. Omnium enim opinione grauiter delinquere is censetur, qui alienum officium, maximè verò publicum sibi vsurpat. Nam & Magistratui, cuius est officia constituere, grauem

grauem infert iniuriam, & populo, quem in re non leuis momenti decipit. Quod tantò grauius censeri debet, cùm in rebus non quibuscunque, sed ad salutem ipsam spectantibus contingit deceptio. Certè si quis legati officium, quasi à Principe missus esset, sibi sumeret, non solum nihil sua legatione efficeret quod ratum & validum esset; sed etiam grauissimè puniretur. Atqui Ministri teste Apostolo, sunt legati Dei, qui *pro Christo legatione ad homines funguntur, tanquam Deo exhortante per illos.* Grauissimum igitur scelus est cum Dei & hominum iniuria coniunctum, ministerium & legationem salutis assumere, citra Dei electionem & vocationem. 2. Cor. 5. ℣. 20.

Adde quòd sicut in ore eorum, quos vocat & mittit Deus, Spiritus sanctus insidet, & ore eorum, loquitur, iuxta illud Christi promissum: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et: *Spiritu S. inspirati loquuti sunt sancti Dei homines:* ita viciſsim in ore Ministrorum, qui à Deo missi non sunt, insidet spiritus mendacij, iuxta illam visionem Eliæ, de qua 3. Reg. 24. vbi spiritus mendax ad decipiendum Achab, accepta à Deo potestate, ait: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dicit Dominus: decipies & prævalebis, egredere, & fac ita.* Proculdubio enim prophetæ Achabi, non erant à Domino missi; neque Dominus posuit verbum in ore ipsorum, ideò spiritus malus occupauit os illorum ad decipiendum verbis mendacij. Matt. 10. ℣. 20. 3. Reg. 24. ℣. 22.

CAPVT III.

Ministri Euangelici destituti sunt immediata à DEO *missione.*

CVM satis cõstet, sine vocatione & missione Diuina nullũ posse esse legitimũ Ministrũ: videamus

Missio duplex. mus an ministri Euangelici suam vocationem & missionem ostendere possint. Ac in primis missio in sacris literis duplex inuenitur. altera immediata; cùm quis immediatè à Deo mittitur: altera mediata; cùm quis mittitur ab his qui à Deo missi sunt, seu à Pastoribus Ecclesiæ ordinarijs. Illa dicitur missio extraordinaria; hæc ordinaria. Deus ordinariè homines per homines gubernat; Ecclesiam per suos Pastores & Episcopos. Dicant igitur Ministri Euangelici, num immediatè à Deo sint missi, vel mediatè? Si dicant immediatè se missos à Deo: producant diuinum testimonium. Nam neque Deus quempiam misit vnquam sine publico testimonio: neque in re tam graui nudis verbis cuiusquam æquum est fidem adhibere; præsertim in tanta multitudine falsorum Ministrorum, qui omnes se à Deo missos iactitant.

Deus nullum immediatè misit sine publico testimonio. *Exod. 4. ℣. 1.* Porrò Deum, nullum misisse immediatè sine publico testimonio, manifestum est exemplis noui ac veteris Testamenti. Cum enim Moysen ad populũ suum mitteret, Moysesque diceret ad Dominum: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus:* Dñs dedit illi in testimoniũ virgã q̃ cùm proijceret, vertebatur in serpentẽ, cùm resumeret, vertebatur in virgam: eaque virga Moyses plurima deinceps miracula patrauit. Prophetæ cùm mitterentur; spiritus prophetiæ datus est illis in testimonium, quo futura prædicebant: & multa præterea miracula diuina potestate faciebant. Ioannem Baptistam cùm vti Christi præcursorem & prænuncium Deus mitteret, multis quæ in eius natiuitate acciderunt miraculis illustrauit; vt omnes mirarentur & dicerent: *Quis putas puer iste erit, quia manus Dei erat cum*

cum illo? Et quamuis ille deinde miraculum nullum fecisse legatur: vita tamen ipsius Angelica tam sanctè, & laudabiliter acta, fuit vnum magnum miraculum: ita, vt ob hanc sanctitatis opinionē crediderint multi, vel saltem suspicati fuerint, ipsum esse Christum & Messiam. De Christo paulò ante diximus, quòd non solùm publicum de cœlo testimonium à Patre habuit in Baptismo & Transfiguratione: sed etiam plurimis miraculis suam missionem comprobauit. Et quidem dixit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Denique Christus mittens Apostolos in mundum, dedit illis virtutem miracula faciendi. *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* vt non esset prædicatio illorū *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.*

Ioan. 10. ℣. 37. Ioan. 15. ℣. 24. Mar. 16. ℣. 24. 1. Cor. 2. ℣. 4.

Verùm quamuis tot exempla deessent, res ipsa loquitur in re tanti momenti, quæ Religionem concernit & salutem nostram: non posse, nec debere cuiuis fidem facilè adhiberi, dicenti se à Deo missum esse. Dicunt enim hoc idem omnes Hæretici: dicunt Ariani Caluinistis se à Deo missos esse: nunquid illis fidem habebunt? nunquid à Caluino ad Ariū se transferent? Quare nec illis credendum erit, nisi quod dicunt, probauerint diuino aliquo testimonio. Sanè *filij huius sæculi sunt prudentiores filiis lucis in generatione sua.* Si quis enim veniat in ciuitatem, vt in ea Magistratum gerat, aut bona ciuitatis illius vsurpet: ante omnia requiruntur ab eo litteræ Regiæ, diploma priuilegij, quod etiam diligenter excutitur & examina-

Non facilè credendum est ijs qui dicunt se missos esse à Deo.

 tur.

tur. At in ea re, in qua salutis cardo vertitur, si veniat Minister Euangelicus fidei antiquæ doctrinam & Sacramenta euertens; neque quæritur an sit legitimè missus: neque e si asserat se à Deo missum, alia probatio exigitur: sed simplicibus verbis, veluti diuino oraculo creditur; & quam temeritatem nullus in rebus ciuilibus admitteret, ea in re omnium grauissima passim à plerisque admittitur.

Occurritur obiectioni. At inquiunt, Ministros Euangelicos probare se à Deo missos, quia prædicant verè verbum Dei, & reijciunt quæ sunt verbo Dei contraria. Verùm misti peruertunt regulam Apostoli: Non enim ex prædicatione missio, sed ex missione prædicatio probanda esset. Disertè enim Paulus asserit: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Prius est mitti, quàm prædicare: & qui legitima missione destitutus est, nō potest prædicandi munus assumere; vt ideo prædicatio eius suspecta esse debeat, qui prædicat cùm non sit à Deo missus. Deinde dum ita se tuentur, vnum incertum probant ex alio magis incerto, quod est ineptissimum probationis genus. Incertum enim est, Ministros Euangelicos esse missos: at longè incertius est, quòd verum Dei verbum prædicent: cùm certum sit ex scripturis, eum qui missus non est, non prædicare legitimè verbum Dei. Quare cùm signum debeat esse certius re illa cuius est signum: prædicatio non potest esse signum missionis, cùm sit illa incertior. Prædicatio enim legitima à legitima missione dependet. Vnde in hac probatione admittitur quædam petitio principij: cùm id pro ratione adfertur quod ipsum est in controuersia. Magis enim & præcipuè est in controuersia, an Ministri verè prædicent verbum Dei: vt

Prædicatio non potest esse signum missionis.

enim

enim hoc sciamus, quærimus an sint legitimè missi. Non igitur ex prædicatione rectè demonstratur missio: sed ex missione prædicatio. Denique in hac probatione affertur ratio, de qua populus, & ij qui salutis remedium forte quærerent, iudicium ferre nullo modo possunt. *Scriptura enim propria interpretatione non fit*, vt docet Petrus, & cùm in scripturarum interpretatione sint tot hominum iudicia quot capita: nullo modo fidelibus constare poterit, quæ potissimum interpretatio sit vera: nisi prius constet eum, qui illam interpretatur, esse à Deo missum. Quare prouocare ad scripturarum interpretationem, est populo & singulis de plebe deferre iudicium de scripturis, & earum vera intelligentia, quod est omnium errorum seminarium. Quod si nec dum aduertant aduersarij, quàm sit infirma hæc probatio: reputent apud se, Arianos simili ratione probare posse se esse à Deo missos: quia nimirum verum Dei verbum prædicant. Quam probationem cùm non suscipiant Caluinistæ ab Arianis afferri solitam: neque Catholicos æquum est admittere à Caluinistis.

Scripturā interpretari non est cuiusuis.

CAPVT IIII.

Philippi Mornei refellitur responsio.

PHilippus Morneus Gallus in suo tractatu de Ecclesia ait, non exigenda esse à Ministris Euangelicis miracula: tum quia non nouam Religionem inducunt, sed antiquam restaurant & reformant: tum quia Sathanas à Christo Domino exigebat miraculū. *Si filius Dei es, mitte te deorsum*: cui Christus non miraculo satisfecit, sed ex scripturis respondit: *Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum*. Pharisæis etiam,

Mornei rationes cur miracula à Ministris Euangelicis requiri non debeāt.

cùm

cùm eijcerentur è templo, interrogantibus, *in qua potestate hæc faceret*, respondit ex scriptura: *Domus mea, domus orationis vocabitur.*

Refellitur Mornei prima ratio. Reformare Religionem nemo potest nisi vocetur à Deo.

Sed errat Morneus. Nam satis manifestè ex scripturis ostendimus, neminem posse sibi honorem assumere, nisi *qui vocatus sit tanquam Aaron*, neminem posse *prædicare, nisi qui mittatur*. Quare ne ad reformandam quidem Religionem posse sibi quenquam vsurpare potestatem, nisi qui vocatus sit à Deo & missus. Nunquid si hæc licentia semel concedatur vnicuique reformandi ad libitum Religionem, non emergent subitò innumeri reformatores; qui vti varijs hæresibus imbuti erunt: ita varias inducere reformationes molientur. Velint Ariani reformare Caluinistas, certè Caluinistæ debebunt talibus reformatoribus obedire, si ad reformandum non est opus speciali vocatione & missione diuina. Quare necessario fatendum est, si quis se dicat esse à Deo missum ad reformandum, debere proferre miracula, vel alia de cælo testimonia: neque æquum est in re tanti momenti, nudis tantùm cuiusque verbis fidẽ adhibere. Cùm enim multi veteratores & Hæretici sub specie reformationis deformare Ecclesiam possint, & corrumpere potiùs quàm instaurare, inficere magis quàm repurgare: quis non videt ad reformandã Religionem opus esse diuino testimonio;

Ordinarii pastores cũ reformant Ecclesiam cur non teneantur pro

Nam etsi ordinarij Pastores cùm Ecclesiam, ad quã regendam à Spiritu sancto positi sunt, pro ratione sui officij & potestate ordinaria reformare volunt, non debent exhibere miracula, nec interrogari in qua potestate hæc faciunt, cùm constet illos esse magistratum legitimum diuina ordinatione ad regen-

regendam Ecclesiam institutum: quomodo Helcias sacerdos sub Iosia rege, librum legis restituit, & idola ex templo profligauit: Esdras quoque populo Babylone reuerso, cultum Dei restituit nullo nouo miraculo facto, sed ordinaria qua præditus erat potestate; tamen si ij qui non sunt ordinarij Pastores, Ecclesiã reformare velint, debent omnino interrogari, in qua potestate hæc faciunt. Et cùm potestatem ordinariã non habeant, ostendant extraordinariã testimonio aliquo diuino, vel miraculo. Ni id faciant, manifestum erit indicium, istos reformatores esse deformatores, & corruptores veræ Religionis, Angelos Sathanæ, transfigurantes se in Angelos lucis. Certè si in Republica priuatus aliquis hanc prouinciam reformandi sibi assumeret, eamque ob causam legitimum Magistratum oppugnaret, ab eius obedientia subditos auerteret, nouas leges antiquis sublatis conderet: nonne omnium iudicio talis, turbator pacis, communis & Reipublicæ hostis haberetur? Quid ni igitur Ministri eodem loco habendi sint, qui neque à Deo missi, neque ordinaria potestate præditi, sed merè priuati homines ad reformandam Religionem accedunt, & sub specie reformationis seditiones & bella ciuilia in Ecclesia Dei excitant, & homines ab obedientia suorum legitimorum Pastorum, & ab antiqua mille sexcentorum annorum fide auertere conantur.

ferre miracula, quod tenentur facere extraordinarij.

Ministri sub specie reformationis sunt turbatores pacis communis.

Deinde prudentes viri censent ad reformationem in Republica tum demum accedendum esse, quando mala quæ Respublica patitur, non alicuius dumtaxat (qui decipi potest) iudicio, mala sunt, sed omnium consensione, vt nullus sit qui diffiteri possit

mala esse. At si qui ea vocent Reipublicæ mala, quæ semper pro bonis in Republica sunt habita: illi non Rempublicã reformare, sed nouis rebus de suo statu deturbare proculdubio volunt. Talis est causa Euangelicorum, qui sub specioso titulo reformationis ea sibi oppugnanda acceperunt, quæ semper in Ecclesia Dei pro bonis sunt habita, quæque ipsis testibus historicis Magdeburgensibus, omnibus & singulis sæçulis suos autores & propugnatores viros grauissimos atque sanctissimos habuerunt, Missam dico, veritatem corporis Christi in Eucharistia, Sanctorum inuocationem, ignem Purgatorium, & similia. Non possunt igitur reformationis colore suas fraudes contegere: neque quod in rebus ciuilibus à nullo magistratu tolerari posset; hoc istis in Ecclesia licere debet.

Hæretici titulo reformationis ea impugnant quæ semper in Ecclesia bona fuerunt.

At inquiunt; Quid facto opus est cum Episcopi & Pastores ordinarij pro officio non reformant? Respondemus, nihil facto opus esse dominis Euangelicis, & omnino à tali reformatione abstinendum. Pastores enim Ecclesiæ Catholicæ, non ideo reformationem Euangelicam nolunt, quia nollent videre reformatam Ecclesiam: sed quia reformatio, quam vrgent Euangelici, non est reformatio, sed deformatio, contraria verbo Dei, doctrinæ, & traditioni Apostolorum, sensui & consensui Ecclesiæ per hos mille sexcentos annos recepto. Neque enim si quæcunque alicui videantur in Republica mala, statim ad reformationis remedium veniendum, sic enim innumeris perturbatoribus pateret via ad Rempublicam reformationis prætextu perturbandam; semper enim inueniuntur malè sana capita, quibus multa non probantur,

Pastores Ecclesiæ Catholicæ in quo sese reformationem nolũt. Non subito ad reformationem veniendum est.

bantur, sed opus est vt mala sint certò mala; quæque non aliquibus tantum, sed omnibus mala esse videantur; maximè ijs qui ex officio Rempublicam gubernant, eiusque incolumitati prospiciunt.

Iam quod ait Morneus, Sathanæ exigenti à Christo miraculum denegatum: miror sanè Morneum non intellexisse Christum non cuiuis poscenti & tentanti debuisse miraculum edere, multò minus Dæmoni, cùm non ad dæmones, sed ad homines fuerit missus, & hominibus non dæmonibus, miraculis suam missionem probare debuerit. Ex iure etiam habetur: Non legitime interroganti, non debetur legitimum responsum. Quare cum Christũ eijcientem de templo vendentes & ementes, interrogarent Iudæi: *Quod signum ostendis nobis quare hæc facis?* non est tergiuersatus Christus, sed dedit eis signum suæ resurrectionis: *Soluite*, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Et interrogantibus summis Sacerdotibus, Scribis, & Senioribus: *In qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem?* proposuit & ipse illis interrogationem de baptismo Ioannis: *an esset de cælo, vel ex hominibus?* qua interrogatione tacitè produxit testimoniũ de se Ioannis. Intelligebant enim Iudæi: si baptismus Ioannis de cœlo erat, (vti negare non poterant) credendum esse Ioanni, Christo testimonium perhibenti. Quare etsi Christus Dæmoni miraculum exposcenti non edidit miraculum, tamen hominibus exposcentibus suæ missionis rationem, & miracula protulit, & alia de cœlo testimonia. Deinde & illud considerare debuit Morneus, non debuisse Christum quouis loco, quauis occasione miracula edere ad probandam suam missionem, sed

Refellitur Mornei secunda ratio.

ſatis eſt quod ſuo tempore & loco ea ediderit. Addo, miracula ſine neceſſitate poſcere, eſt tentare Deum: tale fuit illud miraculum quod Dæmon à Chriſto exigebat, & ideo illud edere noluit, protulitque ſcripturam, *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Sed pergit Morneus probare, fruſtra à Miniſtris Euangelicis expeti miracula, tùm quia ſi Angelus è cœlo nouum afferret Euangelium, ſtupendum eſſet miraculum, & tamen non eſſet ei fides adhibenda: tum quia ſi Euangelici faciant miracula, vel illis crederent Catholici, vel non: ſi non crederent, fruſtra poſtulant miracula: ſi crederent: pari ratione crederent Antichriſto inſtructo Sathanæ miraculis.

Alia proponuntur Mornei rationes.

Reſpódeo, nó fruſtra nos à Miniſtris exigere miracula, népe nó vt illis credamus, ſed vt non credamus. Quia enim nulla miracula edere poſſunt; ideo nullá fidé merentur: nec habendi ſunt tanq̃ homines à Deo miſſi, cùm Deus nullum miſerit ſine miraculorum teſtimonio. Iam quod Apoſtolus ait, ſi Angelus de cœlo nouum Euãgelium adferret: non loquitur tanquam de re poſſibili, ſed tanquam de re impoſſibili. Sicut ergo impoſſibile eſt, vt Angelus de cœlo nouum Euangelium adferat: ita nullo modo fieri poteſt, vt Euangelium quod prædicatum eſt, ſit falſum. Simili ratione cùm petit, an ſi ederent miracula, fidem illorum doctrinæ haberemus, ſermo eſt de re impoſſibili. Sicut enim impoſſibile eſt, vt ipſi edant miracula: ita impoſſibile eſt vt eorum doctrinæ fidé habeamus. Nam non ſolum nulli vnquam, qui certò Euangelici habentur, ediderunt miracula: ſed neq; edere poſſunt. Deus enim non poteſt ſibi eſſe contrarius: cumque tot pro fide Catholica ediderit miracula;

cula; nulla poteſt pro Euangelicis edere. Antichriſti verò miracula falſa & mendacia, quia permiſſurus eſt Deus: ideò præmonuit fideles tot ante ſæculis, ne quenquam deciperent.

At quia hæc Morneo non ſatisfaciunt, profert tandem pro Euangelicis miracula. Maximum, inquit, miraculum eſt, quod vnus Monachulus (Lutherum intelligens) ſolo Dei verbo totum imperium Babylonicum à fundamentis concuſſit, & regna integra à Papæ tyrannide liberauit. Hoc, inquit, miracula omnia longiſſimo interuallo ſuperat.

Hæreticorum miraculum à Morneo propoſitũ irridetur.

Oſtendit ſanè Morneus, quanta copia miraculorũ abundent Miniſtri Euangelici, cùm rem omnium abſurdiſſimam & maximè omnibus Euangelicis pudendam miraculi loco producit. Eia igitur ſi hoc miraculum eſt, miraculum quoque erit illud Arij, qui ſolo Dei verbo peſtilentiſſimam contra Filium Dei hæreſim in orbem Chriſtianum inuexit; aut Mahumetis, qui tot nationibus ſuam ſectam longè abſurdiſſimam perſuaſit. Similia ſunt aliorum quoque hæreſiarcharum miracula, non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem. Deinde, anne miraculum dici poteſt, vnus Monachus excucullatus, qui fidem Deo datam & iuratam violauit: qui virginem Monialem Deo dicatam, ſacerdos ipſe & ſolenni caſtitatis voto obſtrictus, ſacrilego matrimonio ſibi copulauit: qui omnibus hominibus frena ad omnem libidinẽ laxauit; cùm in ſermone ſuo Wittembergenſi non fuerit veritus dicere: Si non vult vxor, veniat ancilla: cùm præcepta Dei eſſe ſeruatu impoſſibilia, maximè verò præceptum, Non concupiſces, aſſeruit: cùm opera pœnitentiæ nihil prodeſſe ad ſalutem; ſed hy-

pocritam hominem coram Deo facere; cætera verò opera bona omnia esse peccata mortalia & damnatione digna; & sexcenta alia absurdissima docuit: qui à dæmone Euangelium didicit, à quo post multiplicem de missa disputationem, tandem victus est. Hic, inquam homo, non miraculum, sed horrendum monstrum & prodigium dici debet: scilicet talis Euangelij, talis Apostolus & Euangelista.

Lutherus cur nonnulla regna infecit.

Iam verò quid mirabile videatur, quòd nonnulla regna, & nonnullas Prouincias suis erroribus infecerit: mundo enim valde arridet Lutheranum Euangelium, quod totum carnale est & delicatum, quod ieiunia tollit, pœnitentias & afflictiones ridet, præcepta Dei seruatu impossibilia docet, vota castitatis relaxat, ab obedientia legum quarumuis homines per libertatem Euangelij liberat, & innumera alia quæ carni & sanguini placent, proponit. Si Lutherus prædicationem exemplo Ioannis, Christi, & Apostolorum à pœnitentia orsus fuisset: si arctam viam quæ ducit ad vitam docuisset: si castitatem seruandā, ieiunia, pœnitentiam in cinere & cilicio, in fletu & planctu prædicasset, ad eaque omnia, exemplo pœnitentiæ præiuisset, sicut alter Ioannes Baptista, habens *vestitum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, non manducans neque bibens*; verè magnum miraculum fecisset, si ad tale Euangelium homines conuertisset. At non Lutherani Euangelij sunt hæc miracula; nihilque facilius est quàm destruere, & deteriora quæque persuadere, ad quæ homines naturali quasi pondere satis ex se propendent.

Lutherus non euertit imperium Papæ.

Denique Morneus cùm gloriatur Lutherum verbo Dei Papæ imperium euertisse, quod ipsum prophetico


phetico quaſi ſpiritu gloriabatur adhuc viuens Lutherus; *peſtis eram viuens, moriens ero mors tua, Papa*: falſò gloriatur. mentita enim eſt iniquitas ſibi, & in ore prophetæ inuentum eſt mendacium. Non ſolùm enim non euertit imperium Papæ Lutherus, nec viuens, nec moriens; ſed etiam nullo vnquam tempore amplificatum eſt magis, quàm eo ipſo quo Lutherus illud oppugnare aggreſſus eſt. Cùm enim Lutherus nonnullos à Chriſti vera fide auerteret, excitauit Deus ſibi populum nouum in vtraque India Orientis & Occidentis; vbi ampliſſima & potentiſſima regna ad Chriſti & Eccleſiæ Romanæ fidẽ acceſſerunt, & accedunt in dies magis, ſacerdotum Catholicorũ opera & laboribus. Quod ſi Lutherus tanto fidei propagandæ zelo tenebatur, cur ſe ad illas gentes non contulit cum ſuis Miniſtris? cur gentes atroces, barbaras, antropophagas, luce ſui Euangelij non illuſtrauit? cur animam ſuam precioſiorem tot hominũ ſalute habuit? multum proculdubio nobis probaſſet ſuam doctrinam, ſi eam ſuo ſanguine more Apoſtolorum cruentaſſet; ſed blandum & carnale Euangelium adeò duram probationem non requirit.

CAPVT V.

Vocationem & miſsionem ordinariam, Miniſtri Euangelici probare non poſſunt.

QVemadmodum Miniſtri Euangelici non poſſunt oſtendere ſe eſſe à Deo immediatè miſſos: ita neque mediatè, hoc eſt ab ordinarijs Paſtoribus Eccleſiæ, quæ eſt miſſio ordinaria. Paſtores enim & *Epiſcopi poſiti à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei*, cũ poteſtate regendi, poteſtatem quoque mittendi Miniſtros

Paſtores Eccleſia habent poteſtatem mittendi miniſtros.



nistrationis Sacramentorum, & oblationis externi sacrificij, non sunt omnes Sacerdotes. Alias non esset opus (quod Paulus ait) *omnem pontificem ex hominibus assumi, & pro hominibus constitui, vt offerat dona & sacrificia:* possetque quilibet contra doctrinam Pauli, sibi sumere honorem ministerij, etiamsi non vocaretur à Deo sicut Aaron: frustraque diuersa ministeria essent à Spiritu sancto constituta in Ecclesia; quod tantoperè vrget Apostolus. Sicut enim *in vno corpore omnia membra non eundem actum habent*: ita in corpore Ecclesiæ non omnes habent idem ministerium. Et sicut corpus non est vnum membrum, sed multa: ita & ministeria multa. *Nunquid omnes Doctores?* quod si omnes Pastores, vbi erunt oues? si omnes Doctores, vbi erunt discipuli? si omnes Sacerdotes, vbi populus? Ibidem etiam docet apostolus hæc ministeria & diuisiones gratiarum & ministeriorum distribuere Spiritum sanctum, cui vult. Non igitur omnes sunt Ministri, sed quibus id datum est à Spiritu sancto. Ex quo consequitur mittendi officium non spectare ad populum, nec ad quosuis fideles; sed ad solos Episcopos, ad quos solos spectat secundum scripturas regimen Ecclesiæ Dei. Sic Paulus tanquam Episcopus, constituit Titum & Timotheum Episcopos, ijsdemque vt pari ratione alios constituerent, præcepit.

Non omnes fideles esse sacerdotes. Hebr. 5.

Proferant igitur Euangelici Ministri, à quibus Episcopis sint missi, vel qui sint illi à quibus potestatem acceperunt ministrandi Sacramenta, prædicandi Dei verbum, & animas Christi sanguine redemptas regendi. Nam tantarum rerum administratio, sine legitima potestate fieri non debet. Vsurpare verò potestatem sibi à nullo legitimè communicatam,

est non solùm grande scelus; verumetiam in ruinam & præiudicium plurimorum, qui miserè decipiuntur, putantes se à legitima potestate gubernari, cùm omni fructu talis potestatis careant. Dicant à quibus duplicem illam potestatem, qua ministri officium continetur, acceperunt: potestatem inquam iurisdictionis & ordinis.

Responsum hæreticorũ Urgetur.

Respondent Euangelici, non vt aliquid dicant; sed ne nihil dicere videantur. Habere quoque se suos Ministros & Superintendentes, à quibus tanquam à Pastoribus ordinarijs vocantur, & mittuntur alij Ministri. Recte sanè. Verùm illi Superintendentes, à quo missi sunt? à quo potestatem regendi Ecclesiam, & alios mittendi, acceperunt? Hæc enim potestas cùm sit spiritualis, & Spiritus sancti propria; non datur nisi ab ijs, quos ipse Spiritus sanctus per legitimam ordinationem & consecrationem posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Vel igitur dicti Superintendentes à talibus Episcopis sunt ordinati & missi, vel non: Si negent: actum erit de vocatione & missione ipsorum: cùm sine missione legitima, nullus possit esse legitimus Minister: tantundemque sit à nullo mitti, & mitti ab eo, qui nec ipse missus sit, nec potestatem alios mittendi à Deo accepit. Si affirment: probare non possunt. Nam omnes Ministri & Superintendentes Euangelici à Luthero cœperunt, qui non solùm Episcopus non erat, sed etiam abnegatus Presbyter & Monachus, Et quamuis aliquando fuit legitimè vocatus & missus, cùm Monachus & Concionator esset: tamen huic vocationi & missioni factus Apostata, renunciauit; & ab Ecclesia omni potestate priuatus fuit, per excommunicationem & ministerij ablatio-

Vocatio Lutheri & missio.

Lutherus per excommunicationem priuatus est omni potestate.

ablationẽ. Habet enim Ecclesia potestatẽ ministros & mittendi, & reuocandi; & sicut potest ministris potestatem conferre: ita & auferre, prout ad bonum regimen animarum expedire iudicauerit. Deinde, vocatio & missio prior Lutheri cõsistebat in potestate sibi commissa, non ad scripturas peruertendas, non ad hæreses disseminandas, sed ad verbum Dei secundum sensum & consensum Ecclesiæ Catholicæ, & totius Christianitatis prædicandum, & Sacramenta secundum ritum & consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ administranda. Quod, quia ille non præstitit, vocationem suam deseruit, & potestate sibi commissa non est functus in ijs omnibus, quæ in gratiam Euangelicorum fecit. Quare sicut si legatus, præter potestatem sibi concessam à Principe, aliquid aliud audeat decernere, vel etiam ijs, quæ sibi commissa sunt, contraria faciat: is proculdubio non dicetur ad talia missus, neque legati potestate in ea parte functus. Ita Lutherus, quia ad ea quæ fecit, nullã ab Ecclesia potestatem habuit: ideò nullo modo in ijs legati aut missi officio fungi censendus est, sed illud potius deseruisse, & illi renunciasse existimandus.

Morneus respondet primos Ministros Euangelicos presbyteros fuisse Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, Bucerum: Presbyteros autem idem esse quod Episcopos, & potestatem manuum imponendarum habere. Quare eandem esse vocationem Ministrorum, quæ Catholicorum Sacerdotum; tam quoad ministeriũ verbi Dei & Sacramentorum, tam quoad aliorum ordinationem. *Mornei responsio.*

Ita respõdere solent, qui nil habent quod respondeant. Nullo enim modo satis est ad vocationem & *Excutitur & soluitur.*

missionē Diuinā, vt quis sit Presbyter. Alias si Presbyter omnes hæreses doceret, & omnes diuinas ordinationes euerteret, censeri deberet vocatus & missus à Deo. Si ita res habet: Arius quoque & omnes hæresiarchæ erant vocati & missi à Deo, siquidem omnes ferè fuerint presbyteri. Luce verò meridiana clarius est, vocationem diuinam non esse ad errores docendos; sed ad fidem veram prædicandam. Presbyteri quidem eo quòd Presbyteri sunt, habent potestatem ordinis, qua Sacramenta conficere secundum diuinam ordinationem possint: eamque retinent etiam Hæretici & Apostatæ facti, (quamuis ea sine peccato vti non possint:) non habent tamen potestatem iurisdictionis, qua vti in fideles veluti in subditos possint, eosque gubernare ac regere; nisi quatenus ab Ecclesia illis communicatur, hoc est ab Episcopis, quibus data est potestas regendi Ecclesiam Dei, quibusq; subsunt nō alij solùm fideles, sed & Presbyteri.

Regimen omnium & singulorum non pertinet ad presbyteros singulos.

Et sanè res ipsa loquitur, regimē omniū & singulorū fideliū nō spectare ad singulos Presbyteros: neq; singulis Presbyteris esse subiectos oēs per totū mundū fideles. Vnde & Petr. in sua Epist. ait: *Pascite qui in vobis est gregem*, non omnē inquit, sed *qui in vobis est*. Alias innumeri essent pastores & rectores earundem ouium: nempe tot, quot Presbyteri. Quod non solùm bonam gubernationem non redderet; sed etiam confusionem & perturbationē pareret; quam semper secum affert plurium gubernatio. Et sanè si aduersarij nolunt totius mundi regimen concedere Petro & eius successoribus, quomodo id audebunt concedere omnibus & singulis Presbyteris? & si vnū Papam ferre non possunt, quomodo ferent tot Papas, quot Presbyteros?

Con-

Concludo igitur, Presbyteros eò quòd Presbyteri sint, non habere potestatem iurisdictionis in fideles, nisi quatenus eis ab Ecclesia conceditur. Cumque ad missionem requiratur præter potestatem ordinis, potestas etiam iurisdictionis; non satis est Lutherum Presbyterum fuisse, seu potestatem ordinis habuisse; nisi etiam ostendatur habuisse potestatem iurisdictionis ab Ecclesia sibi communicatam eo tempore, quo quintum Euangelium docere cœpit. Hanc proculdubio ei non concessit, imò excommunicando ipsum abstulit. Quem enim à cœtu fidelium eiecit: sine dubio etiá à ministerio verbi & Sacramentorũ amouit. Prætera potestas, quam Ecclesia concedit suis ministris, est ad prædicandum Dei verbum, secundum sensum & consensum Sanctorum & Ecclesiæ Catholicæ, non secundum proprium Prædicantis iudicium. Lutherus autem vsurpauit sibi potestatem contra sensum & consensum Ecclesiæ, & omnium sanctorum Patrum scripturas exponendi. Non igitur hanc potestatem habuit ab Ecclesia. quare priorem quam habuit ab Ecclesia, amisit; quam verò sibi vsurpauit, non habuit, nec habere potuit ab Ecclesia; ideoque nullo modo (quoad illam) missus ab Ecclesia censeri debet. Nam sicut in ciuilibus cum legato potestas confertur; præscribitur etiam modus potestatis, ita vt nec omnia, nec omni modo possit: ita & in Ecclesiastico ministerio. Aliâs non tam legitima potestas dicenda esset, quàm infinita licentia Ministrorum. *Lutherus non habuit potestatem iurisdictionis.*

Deinde dicant aduersarij, quo tempore Lutherus legitimè fuerit vocatus & missus. Eóne tempore quo prædicauit vt Catholici? an postea cùm quintum *Vrgentur aduersarij.*

 Euan-

Euangeliũ docere cœpit? Si primum asserant, sequitur Catholicorum Sacerdotum esse legitimam vocationem. Si secundum, quis Episcoporum illum tũ miserit, cùm omnibus Episcopis & Pastoribus ordinarijs repugnaret, & ipse fateatur solum se initio fuisse, in præfatione Tomi primi.

Respondetur Morneo.

Iam cùm inquit Morneus, Lutherum vocationi suæ sátis fecisse, purum Dei verbum docendo, Catholicos verò non satis facere, licet eandem vocationem habeant. Respõdeo, imò verò nõ satis fecit vocationi suæ Lutherus in prædicando Dei verbo. Vocatus enim erat ab Ecclesia ad docendum Dei verbum, non suo sensu, sed Ecclesiæ & Sanctorum Doctorum sensu & consensu, & ad talem prædicationẽ fuit missus ab Ecclesia: ipse verò huic muneri non satisfecit, sed aliud sibi officium vsurpauit contra sensũ & consensum Ecclesiæ, scripturas interpretando, & proprium iudiciũ pro verbo Dei prædicando. Quare non nostri deserunt suam vocationem, cùm docent Dei verbum secundum constantem sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ intelligentiã; ad hoc enim sunt vocati & missi: sed Lutherus deseruit, cùm aliud Euangelium prædicauit, ab eo diuersum, ad quod prædicandum fuit missus.

Lutherus suam vocationem deseruit. Exemplum Mornei soluitur.

Nam quòd dicunt fuisse missum ad prædicandum purum verbum Dei; non negamus: sed negamus purum esse verbum Dei, quod quis contra communem sanctorum sensum & consensum interpretatur. Rectè enim monuit Petrus: *Scripturam propria interpretatione non fieri; sed Spiritu sancto inspiratos, locutos esse sanctos Dei homines.* Neque iuuat Morneum gubernatoris exemplum, qui vocationi suæ tum satisfacit,

cùm

cùm non secundum corruptelas legum, sed secundũ puram legẽ gubernat ciuitatem. Id enim verùm est; quando quæ existimantur corruptelæ, sunt veræ corruptelæ, non ipsius solius iudicio, sed totius Reipublicæ. At si Respublica tota pro veris legibus habeat, quas gubernator censet corruptelas legum: is certè minimè vocationi suæ satisfaceret, si proprium sensum sequendo, contra comunẽ sensum Reipublicæ, leges mutaret vel abrogaret, vocans eas temerè legũ corruptelas. Talis fuit Lutherus, qui corruptelas dixit ea, quę tota Ecclesia Catholica à Spiritu sancto edocta, per totos mille sexcentos annos habuit pro articulis fidei. Ex his quæ hactenus dicta sunt infero, Ministros Euangelicos nullo modo legitimos esse, eo quòd diuina vocatione careant, & suam missionem nullo modo probare possint.

SECVNDA DEMONSTRATIO.

Veri & legitimi ministri ritè ordinari & consecrari debent.
Ministri Euangelici non sunt ritè ordinati & consecrati:
Non sunt igitur legitimi ministri Euangelij.

CAPVT VI.

Ministros Euangelicos non esse legitimos ministros, quòd non sint legitimè ordinati & consecrati.

Ministri Euangelici non ideò solùm non sunt legitimi Ministri, quòd non sunt à Deo vocati & missi; (quod satis esset) sed etiam quia non sunt ritè ordinati & consecrati. Tàm diuinum enim & sanctum officium est, quod Spiritus sanctus imposuit veris ministris; vt ad illud opus sit consecratione & ordinatione. Nam & Christus ipse cùm à Patre mitteretur

Veri ministri sunt cõsecrandi & ordinandi.

teretur in mundum, sanctificatus est, diuinæ personæ vnione. *Quem pater sanctificauit, & misit in mundũ.* (Ioan. 10.) Et præcursor Christi Ioannes, agnum Dei digito monstraturus, vt tanto munere dignè fungeretur, sanctificatus est, & repletus Spiritu sancto in vtero materno. Et Apostoli cùm eos mitteret Christus in mundum, Spiritum sanctum acceperunt. *Insufflauit enim in eos, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Apostoli verò quos ordinabant in Episcopos & Presbyteros; sollenni cerimonia impositionis manuum, dabant illis Spiritũ sanctum. Nam *cùm constituissent Apostoli per singulas ciuitates Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus.* Græcè habetur χειροτονήσαντες, hoc est, cùm per manuũ impositionem creassent Presbyteros, adhibita oratione & ieiunatione. (Act. 14. ℣. 22.) quod hucusque in quatuor temporibus ordinationum seruat Ecclesia Catholica. Et Paulus eadem cerimonia ordinauerat Timotheum & Titum, diuinam illis gratiam conferendo. (2. Tim. 1. ℣. 8. 1. Tim. 4. ℣. 14) Quare & Timotheum admonet: *Resuscita*, inquit, *gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum*, quam etiam gratiam vocat ibidem *spiritum virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Et: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam,* (hoc est per reuelationẽ.) *cum impositione manuum Presbyterij.* (Per impositionem manuum datur Spiritus sanctus.) Et sanè manifestũ est in actis Apostolorum, impositionem manuum fuisse cerimoniam, qua Apostoli dabant Spiritum sanctum. quod & Caluinus tandem fassus est 4. Institutionum, c. 14. § 20. & c 19. § 21. Quare & Paulus Timotheũ monet: *Manus nemini cito imposueris.* quasi nefas sit tam sanctam ceremoniam adhibere cuiuis & facilè. Denique si in veteri lege ad ministranda illa

ieiuna & nullam gratiam conferentia Sacramenta, opus erat ex diuina institutione & mandato, consecratione Sacerdotum ritu externo facta: quanto magis consecratione opus est, ad tam diuina mysteria, qualia sunt in noua lege proposita.

Porrò legitima Ministrorum ordinatio & consecratio ita Episcoporum est propria, vt nulli præter ipsos possit conuenire. Quare quotquot ordinationes in scripturis legimus factas, à solis Episcopis sunt factæ. Paulus & Barnabas impositione manuum inter cæteros à Lucio Cyrenense, qui erat Episcopus Laodiceæ, ordinatus est. Timotheus ab Apostolo Paulo, *cum impositione manuum Presbyterij*. hoc est Episcoporum cœtu, vt Patres interpretantur. Paulus quoq; & Barnabas, Listris, Iconij, & Antiochiæ constituerunt Presbyteros per singulas Ecclesias. Timotheo Episcopo mandat Paulus: *Manus cito nemini imposueris.* Tito Episcopo præcipit: *vt constituat per ciuitates Presbyteros.* Extat canon Apostolorum, vt ab vno Episcopo Presbyteri ordinentur. Extat & vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, cuius tot sunt testes, quot scriptores; vt ab Episcopis Presbyteri consecrentur: neque vnquam habita est vera ordinatio, quæ non esset ab Episcopis facta. Quare Aërius hæresis damnatus est, teste Epiphanio, hæresi 75. Et Aug. de hæres. cap. 53. eò quod Episcopum non differre à Presbytero docuerit. eumq; hoc argumento oppugnant Patres, quòd Episcopus ordinare possit Presbyteros, Presbyter non possit. Sicut enim alia est potestas Magistratus inferioris, cuius est immediatè præesse ciuibus; alia regia, cuius est creare ipsos Magistratus; Ita alia est potestas Presbyteri, cuius est

Consecrare & ordinare soli possunt Episcopi.
Act 13. v. 3.
1. Tim. 1. v. 6.
Actor. 14. v. 22.
Tit. 1. v. 5.

ministrare fidelibus Sacramenta: alia Episcopi, cuius est creare ipsos Presbyteros. Tritum est illud Hieronymi in Epistola ad Euagrium: Quid facit Episcopus, (excepta ordinatione) quod non faciat etiam Presbyter?

Euangelici non habent consecratos ministros.

His igitur constitutis, ostendant Euangelici suos Ministros esse legitimè consecratos & ordinatos. ostendere sanè non possunt: quia nec Episcopos, nec Sacerdotes habent (nisi Apostatas nostros.) Consecrationem etiam in Ecclesia Catholica factam, non solùm non admittunt; sed etiam damnant, & in suis Ministris eluere eam atque eradere quàm maximè conantur. Et verò consecratio, per quam in Ecclesia Catholica ordinantur atq; consecrantur Sacerdotes, eò spectat vt conferatur Sacerdotibus duplex potestas; altera ad conficiendum & offerendum corpus & sanguinem Domini: altera ad remittēda peccata, quarum neutram agnoscunt Euangelici. Nam & corpus Christi fide tantùm existere in Sacramento arbitrantur, non potestate aliqua diuinitus data: & peccatorum remissionem à Sacerdote non effici, sed duntaxat declarari vel renunciari opinantur.

Cur est in Ecclesia cōsecratio.

Responsio Mornei.

Respondet Morneus. Primos Euangelicos Ministros, Hussum, Lutherum, Zvvinglium, Oecolampadium Presbyteros fuisse, ab iisque alios Ministros postea ordinatos & consecratos. Nam in veteri Ecclesia, Presbyteri & Episcopi vnum idemque fuerunt, & potestas imponendi manus æquè Presbyteris & Episcopis conueniebat.

Refutatur.

Sed inauditum est in Ecclesia, vt ordinatio facta à Presbytero, qui non etiam fuerit Episcopus, rata & valida haberetur; imò pro hæresi habitum est, nihil

hil

hil posse Episcopum, quod non possit Presbyter, vt in Aërij hæresibus notarunt Epiphanius & Augustinus. Et quidem, si de nomine Episcopi & Presbyteri loquamur, fatemur vltro non fuisse eam horum nominum distinctionem ab initio, quæ nunc est. Erat enim vtrumq; nomen vtriusq; commune, quod vel ipsa scriptura indicat. Nam quod Episcopi dicerentur Presbyteri, indicat Paulus ad Titum 1. *vt constituas per ciuitates Presbyteros*, hoc est Episcopos. Subiungit enim, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*. Et: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionē manuū Presbyterij.* hoc est Episcoporum. Timotheus enim cùm esset Episcopus, ordinatus fuit antiquissimo Ecclesiæ more à tribus Episcopis; quod Paulus vocat impositionem manuum Presbyterij. Nam simplex Presbyter, non à tribus sed ab vno ordinatur secūdum canones Apostolicos. Sanctus etiam Ioannes 2. & 3. sua Epist. se seniorem seu Presbyterum vocat, cum tamet Episcopus esset.

Olim inter nomen Episcopi & presbyteri non erat distinctio.

Quod verò vicissim nomen Episcopi tribueretur Presbyteris, probari videtur ex Act. 20. vbi Paulus maiores natu, hoc est Ephesinos Presbyteros alloquēs ait: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quamuis enim inter maiores natu, seu Presbyteros Ephesinos esset quoq; Ephesinus Episcopus: tamen verisimile est alios fuisse Presbyteros, qui tamen cōmuni nomine vocantur à Paulo Episcopi. Et ad Philippenses scribens, oppidi illius Episcopos salutat; cùm tamē plures non essent eiusdem oppidi Episcopi, sed Presbyteri. Et Petrus Presbyteros seu Seniores alloquitur: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Græcè est ἐπισκοποῦντες. *1. Petr. 5.*

1. Tim. 4. Ratio autem reddi poteſt, quia vt notauit Theodoretus, Apoſtolorum tempore, veri Epiſcopi non Epiſcopi, ſed Apoſtoli dicebantur: Presbyteri verò nomine Epiſcoporum appellabantur. Nam Rom. 16. Paulus, Andronicum, Apoſtolum vocat. Et Philip. 2. Epaphroditum, Apoſtolum Philippẽſium vocat, qui videlicet Epiſcopi erant. Verùm poſtea mutato Apoſtolorum nomine, Epiſcopi ſolùm Epiſcopi, Presbyteri autem ſolùm Presbyteri appellari cœperunt. Quare veriſimile eſt, cùm Paulus ait Dominum quoſdam dediſſe Eccleſiæ Apoſtolos, non illos primos ſolùm intellexiſſe, ſed vniuerse Epiſcopos. Hi enim propriè ſuccedunt Apoſtolis, & hi poſiti ſunt duraturi in Eccleſia, donec occurramus omnes in vnitatem fidei. Chriſtum etiam vocat Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ, coniungens Apoſtolatum cum Pontificatu. Illos verò duodecim vocat magnos Apoſtolos, ad differentiam aliorum Epiſcoporum. Petrus etiam Actorum 1. cùm proponeret de ſubſtituendo in Apoſtolatum Iudæ, citat ſcripturam: *Et Epiſcopatum eius accipiat alter.*

Hebr. 3. v. 1.

Epiſcopus & Presbyter diſtinguuntur officio & poteſtate.

Iam verò ſi non loquamur de nomine, ſed de officio, non eſt dubium duo eſſe officia & poteſtates eſſentialiter diſtinctas. Alteram ad miniſtranda cõmuniter fidelibus Sacramenta, quam non habent omnes Presbyteri. Alteram ad ordinandos ipſos Preſbyteros, quam non habent omnes Presbyteri, ſed ſolùm ſummi Presbyteri, & ſũmi Sacerdotes, quos iam vocamus Epiſcopos, vetus Eccleſia vocabat Apoſtolos. Quare cùm in ſcriptura legamus Presbyteros impoſuiſſe manus, non quoſcunque Presbyteros intelligere debemus; ſed illos tantummodo, qui erãt

ſummi

summi Sacerdotes & Episcopi. Sic & in veteri lege, alia erat potestas summi Sacerdotis & Pontificis; alia communium sacerdotum. Illa enim erat supra ipsos sacerdotes, quorum summus Pontifex erat & consecrator & iudex: hæc verò supra alios fideles duntaxat. Sic etiam in lege noua Paulus Episcopos constituit iudices Sacerdotum, cùm mandat Episcopo; *ne aduersus Presbyterum recipiat accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Sacerdotes verò alij non sunt iudices Episcoporum. Differtq; potestas Episcopi, à potestate Sacerdotis; tum in ordine, tum in iurisdictione. In ordine quidem, quia Episcopus iure diuino potest ordinare sacerdotes, & conferre illis potestatem conficiendi corpus & sanguinem Domini, & remittendi peccata, quam potestatem non potest conferre quiuis sacerdos. In iurisdictione autem, quia Episcopi præsunt sacerdotibus, & sunt eorum iudices, & gubernatores, non è contra. Presbyteri etiam ab Episcopis omnem iurisdictionem in fideles accipiunt, non ab ipsis Episcopi.

Ex quo patet, quòd quamuis principes Euangelicorum Ministri, Hussus & Lutherus, fuerint Presbyteri Ecclesiæ Catholicæ: quia tamen non fuerunt Episcopi, non poterant ordinare & consecrare alios Ministros. Nam Presbyteris in ordinatione ipsorum non est facta potestas, nisi consecrandi & offerendi corpus & sanguinem Domini, & peccata remittendi, vt patet ex forma ordinationis. Nunquam autem est facta potestas alios ordinandi aut consecrandi. Forma ordinationis vsitata in Ecclesia Catholica, ita habet: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasq; celebrare, tam pro viuis, quàm pro defunctis in nomine*

Lutherus licet sacerdos cur ordinare non potuerit ratio prima.

Domini. Item: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*. Hæc eſt tota poteſtas, quæ confertur in Eccleſia Catholica Presbyteris, in qua nihil de poteſtate alios ordinandi. Nullo igitur modo Huſſus & Lutherus poteſtatem alios ordinandi habuerunt, ex eo quòd fuerint cõſecrati in Eccleſ. Catholica ſacerdotes; cùm in ea conſecratione nulla talis poteſtas conferatur ab Eccleſia.

Occurritur obiectioni primæ.

Neq; dicant iure diuino conferri debere Presbyteris talem poteſtatẽ. Nam neq; hoc ius diuinũ probari poteſt vllo modo ab aduerſariis; neq; ſi probaretur, aliquid efficerent in propoſito. Non enim quærimus de iure, an Huſſus & Lutherus debuerint eſſe ſacerdotes cum poteſtate ordinandi alios; ſed de facto, an de facto habuerint ſibi talem poteſtatem communicatam. Cum igitur de facto illis non eſt cõmunicata ab Eccleſia Catholica; non habuerunt illam, quare neq; alios ordinare, neq; vllis poteſtatem alios ordinandi conferre potuerũt: aut igitur reordinandi erant, aut ſi non ſunt reordinati, talem poteſtatem habere, & illa vti non potuerunt.

Occurritur alteri.

Dicent fortaſſe, ex inſtitutione diuina poteſtatem ordinãdi eſſe annexam Presbyteratui; ideoq́; eo ipſo quòd ſunt Presbyteri, habere hanc poteſtatem. Nos contra dicimus, talem inſtitutionem diuinam nõ extare, cuius rei teſtis eſt per mille ſexcentos annos Eccleſia Dei. Deinde etiamſi annexa eſſet, tamen non conferretur, niſi in ordinatione ſpecialis eius fieret mentio. Nihil enim in Sacramentis confertur, niſi q forma Sacramẽtali ſignificatur. & ſicut non baptizaret, qui ſolùm perfunderet aqua, nõ adhibita verborum

rum forma: ita neque in ordinatione confertur alia potestas præter eam, quam formæ verba expresse repræsentant. Nam etiam potestas remittẽdi peccata, est ex institutione diuina annexa sacerdotio, & tamẽ in ordinatione prius Sacerdos accipit potestatẽ conficiendi & offerendi corpus & sanguinem Domini: deinde ritu & forma distincta, accipit potestatem remittendi peccata: & nisi accederet hæc forma posterior; is qui ordinatur, haberet potestatem conficiendi & offerendi corpus Domini; non verò potestatem remittendi peccata. Pari igitur ratione, si nõ accedat tertia forma, qua tribuatur Sacerdoti potestas ordinandi & consecrãdi alios: is erit Sacerdos quoad duplicem illã potestatem, nõ verò quoad tertiam; quæ quidem propriè conuenit sum̃o Sacerdoti. Summi enim Sacerdotis est, alios Sacerdotes creare & ordinare. Quamuis igitur hæc potestas annexa sacerdotio esset: tamen neq; cuiuis sacerdotio, sed summo duntaxat annexa esset: neq; cõuenire posset, nisi ritu & forma speciali (sicut & aliæ potestates) cõferretur. Quod quia cum Husso & Luthero non est factum: ideo Hussus & Lutherus non habuerunt potestatem alios ordinandi.

Altera quoq; ratione cõsecratio & ordinatio Hussi & Lutheri, nihil iuuat aduersarios: quòd ea ordinatio & cõsecratio, quæ adhibetur in Eccles. Catholica, longè alio spectat quàm ad officiũ Ministrorũ Euangelicorũ. Spectat enim ad celebrandã Missam, & offerendũ corpus Domini, & peccata iudicialiter remittenda; quæ Ministri Euangelici detestantur cane peius & angue. Quare ea consecratio nihil iuuat Euangelicos Ministros: cùm ad officia propria mini- *Ratio secunda.*

strorum

ſtrorum non ſpectet; ſed ad ea tantùm, quæ Sacerdotibus Catholicis propria ſunt. Quocirca ad officia Miniſtrorum, quæ ipſimet ſibiipſis vſurpant, carent legitima conſecratione & ordinatione. Adde, ſi ad Catholicam ordinationem prouocant; cur ergo Caluinus eam aſſerit eſſe merum ludibrium? Cur Kemnitius in examine Concilij Tridentini de ſacramento Ordinis, non magis ratam aſſerit, quàm Annæ & Caiphæ ordinationem temporibus Apoſtolorum? Cur Geneuenſes duos è Gallia Epiſcopos, Trecenſem & Niuernenſem Geneuam profugientes, non prius ad ſua ſacra admiſerunt, quàm reordinârunt, & characterem beſtiæ Romanæ (ſic enim pro ſua modeſtia dicebant) quantum poſſent, eluerunt?

Reſpōdetur obiectioni. 1. Tim. 4. v. 14. Iam quod Morneus ſcribit, impoſitionem manuum Presbyteris fuiſſe communem, errat: niſi eos Presbyteros intelligat, quibus præter Sacerdotalem dignitatem data eſt poteſtas alios ordinandi; quales Presbyteri, ſunt Epiſcopi: eoſque Paulus intelligit, cùm loquitur de gratia cum impoſitione manuum Presbyterij. Senſus enim eſt; *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam,* (hoc eſt per reuelationem. Reuelauerat enim Paulo Deus, vt Timotheum in Epiſcopum ordinaret, id quod etiam indicauit illis verbis, *ſecundum præcedentes in te prophetias.*) *cum impoſitione manuum Presbyterij.* hoc eſt Epiſcoporum. Quod ſi aliquando Presbyteri cum Epiſcopo manus ordinatis impoſuiſſe legantur: id non eò ſpectabat, vt manuum impoſitione ordinarent (ad id enim ſufficiebat ordinatio Epiſcopi) ſed vt ea veluti ceremonia teſtarentur, illos eſſe per impoſitionem manuum ordinatos, & quòd eorum ordinationem

1. Tim. 1. v. 18.

Cur Presbyteri cum Epiſcopo manus ordinatis aliquādo impoſuerunt.

tionem

tionem ratam haberent & sacram. Vident bene sa ita rem habere aduersarij. Quapropter non semel ad nostros Episcopos confugerunt, vt ab iis manuum impositionem impetrarent. Id enim cùm aliâs, tum in Comitiis quibusdam Imperialibus fecerunt Protestantes; cùm diu frustra contenderunt, vt Catholici Episcopi Misnensis & Nauburgensis, suis Ministris manus imponerét, vt refert Stapletonus de Princip. fidei, lib. 5. cap. 15.

Concludo igitur hanc secundam Demonstrationem; ex defectu ordinationis & consecrationis, Lutheranorum & Caluinistarum Ministros legitimos esse non posse. Sit itaque tertia demonstratio.

TERTIA DEMONSTRATIO.

Quicunque potestate remittendi & retinendi peccata carent, non sunt legitimi Euangelij ministri.
Ministri Euangelici carent huiusmodi potestate:
Non sunt igitur legitimi Euangelij ministri.

CAPVT VII.

Ministros Euangelicos non esse legitimos ministros, quòd potestate remittendi peccata careant.

MAgnam sanè dignitatem contulit Ministris suis Christus, cùm eos diuinæ suæ potestatis participes fecit. Nam quemadmodum ipse cum ea potestate venit in mundum, vt hominibus peccata remitteret, quod solius diuinæ est potestatis; ita suis ministris eandem potestatem impertiuit; & ne id incredibile esset, Spiritum sanctum largitus est, vt eius diuina virtute remittere & retinere peccata possent. *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum, quorum* Ioan. 20. v. 23.

Christus suis ministris dedit potestatem remittendi peccata.

remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hanc poteſtatem in Sacerdotibus agnoſcunt & adorant Catholici; ex eorumq́; manibus, peccatorum remiſſionem & vitam æternam læti accipiunt, fide iubente pro eis Chriſto: quòd quæcunq; ſoluerint ſuper terrã, eſſent ſòluta & in cœlis.

Poteſtas annunciandi remiſſionẽ peccatorũ impugnatur.

At Euangelici nec agnoſcunt hanc poteſtatem, neque vllum iudicium de peccatis remittendis vel retinendis admittunt. Miniſtris verò ſuis non aliam poteſtatem tribuunt, quàm annunciandi & prædicandi remiſſionem peccatorum, iis qui receperint Euangelium: iis verò qui non receperint, retentionẽ peccatorũ. Qua in re proprio iudicio, ſe & ſuos Miniſtros condemnant; cùm eis poteſtatem veram & iudiciariam remittendi peccata, quam Chriſtus inſtituit, non concedunt. Et verò, ſi nihil aliud Chriſtus contuliſſet miniſtris, niſi vt annunciarent peccata eſſe remiſſa iis qui crederent, retenta illis qui non crederent: nulla eſſet Miniſtrorum ad eam rem neceſſitas, cùm quilibet id ſine Miniſtro, vel ipſe legere in ſcripturis poſſet, vel ab aliis qui non ſunt Miniſtri diſcere, vel ſibi ipſe in mentem reuocare. Et tamen Chriſtus poteſtatem remittendi peccata non conceſſit, niſi miniſtris; dato eis propterea Spiritu ſancto. Non ergo id conceſſit, quòd quilibet etiam non miniſter facere poteſt, ſed id quod nullus niſi miniſter, Spiritus ſancti accepta poteſtate, facere poteſt.

Peccata annunciare etiam non Miniſter poteſt.

Deinde nemo dixerit eum qui annunciat promiſſionem Dei de remiſſione peccatorum, propriè peccata remittere. Poteſt enim annunciare puer, fœmina, infidelis, imò & dæmon, vel etiã pſitacus, ſi doceatur:

ceatur: neq; tamen quisquam dixerit istos remittere peccata posse, aut ad id potestatem accepisse.

Accedit, quòd alia est potestas prædicandi, alia remittendi peccata: illã dedit Christus ascensurus in cœlum; hanc autem statim post resurrectionem. Cùm potestatem prædicandi daret, non est vsus vlla ceremonia, neq; impertiuit Spiritum sanctũ: at cùm potestatem remittendi peccata tribueret; adhibuit ceremoniam insufflationis, qua designabat, plenitudinẽ potestatis se communicare Apostolis. Addidit autem, *Accipite Spiritum sanctum*: vt intelligerẽt Apostoli, rem istam esse eiusmodi, quæ sit proprium Spiritus sancti opus, & non nisi Spiritus S. potestate perfici possit. Data quidem est potestas Apostolis, *prædicandi Euangelium in remissionẽ peccatorum*: at nõ eo sensu, vt prædicatio Euangelij sit remissio peccatorum; sed vt prædicando Euangeliũ, prædicentur & media à Deo instituta ad consequendam remissionem peccatorum; qualia sunt Sacramenta. Sicut enim Petrus postquam prædicasset Euangelium, & illi qui audierant compuncti essent corde, non sola prædicatione remisit eis peccata; sed iussit eos *pœnitentiam agere, & baptizari in remissionem peccatorum.* Ananias etiã Paulo post prædicationem, ostendit baptismum ad peccata abluenda; *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* ita & Ministri Euangelici non debent sola prædicatione remittere peccata; sed prædicando ostendere viam & media à Deo instituta, ad obtinendam remissionem peccatorum. Et sicut ad remittenda peccata ante baptismum commissa, institutum est Sacramentum baptismi: ita ad remittenda peccata post baptismum admissa, institutum est Sacramentũ

Alia potestas prædicandi alia remittendi peccata.

Luc. 24. v. 47.

Modus quo Euangeliũ remittit peccata.

Act. 2. v. 37

Act. 22. v. 16.

absolutionis; potestate Spiritus sancti ad absoluendum concessa.

Explicatur Apostolus. 2. Cor. 5. v. 19.

Quo etiã modo intelligi debet illud Apostoli: *Posuit in nobis verbum reconciliationis. pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* verbum enim reconciliationis, est annunciatio diuinæ beneuolentiæ, qua vult nobis reconciliari per media ab ipso instituta; nempe per Baptismum & Pœnitentiam. Et hanc Dei voluntatem Apostoli tanquam diuini legati nobis annunciârunt, obsecrantes, vt reconciliaremur Deo per media ab ipso constituta. Nusquam verò auditum est, vt Apostoli reconciliarent homines Deo sola prædicatione, relictis Sacramentis & mediis à Deo institutis. Denique Christus ipse mittens Apostolos, primùm iussit eos prædicare Euangelium, tum baptizare. Non igitur nuda prædicatio remittit peccata; sed ostendit, vbi sit, & per quæ media quærenda peccatorum remissio.

Matth. vltimo.

Ex verbis Christi probatur potestas iudiciaria remittendi peccata.

Iam si ipsa Christi verba, quibus hanc potestatem Apostolis tribuit, expendamus; non potest esse vllum dubium, quin veram & iudiciariam potestatẽ peccata remittendi concesserit Apostolis. Ita enim primùm ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* nempe cum qua potestate misit me Pater, cum eadẽ ego quoque vos mitto. Nonne Pater misit Christum in mundum cum vera & iudiciaria potestate peccata remittendi? An Christus non verè remittebat peccata, sed declarabat duntaxat & annunciabat? Sanè cùm paralytico dixisset: *Remittũtur tibi peccata.* cùm ea res blasphema audientibus videretur; quasi rem soli Deo propriam, Christus sibi vsurpasset: Christus rem

Matth. 9.

rem non negauit, sed nouo miraculo confirmauit. *Vt* inquit, *sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quo miraculo persuasit turbis, vt crederent, & glorificarent Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Cum hac igitur potestate, quam ipse habuit, nō annunciatoriam aut prædicatoriam; sed iudiciariam & effectiuam remissionis peccatorum, misit Apostolos in mundum. Neque verò dubitari potest illis verbis: *sicut misit me Pater:* designari eandem potestatem, cùm id satis explicet mox data Apostolis potestate.

Deinde insufflando, hoc est plenitudinem potestatis & Spiritus sancti communicando ait: *Accipite Spiritum sanctum.* Cùm mitteret ad prædicandū Apostolos, non dabat Spiritum sanctum: quòd prædicare non esset res eiusmodi, quæ facultatem humanam excederet, & ab hominibus præstari non posset. Potest enim prædicare quis, non solùm sanctus, sed & malus, & hæreticus, & infidelis, & dæmon. At cùm potestatem remittendi peccata tribueret, dedit Spiritum sanctum: quòd ea potestas, omnem hominum facultatem excederet; neque sine Spiritus sancti virtute fieri posset: vtque intelligeretur, homines non sua, sed diuina Spiritus sancti potestate id facturos: neque incredibile id videretur; cùm Deo & Spiritui sancto nihil sit impossibile. Quare iniuriam faciunt Spiritui sancto Euangelici; cùm censent homines virtute Spiritus sancti non posse remittere peccata. *Cur ad prædicandum Spiritus S. non est datus Apostolis, sed ad remittenda peccata.*

Tertiò, cùm ait: *quorum remiseritis peccata, remittuntur* *Remissio peccatorum*

in cælo &c. dependet.

tuntur eis. Voluit dependere remissionem peccatorum in cœlo & apud Deum, à remissione peccatorum in terra. Sicut & Matth. 18. ait: *Quæcunque solueritis super terram, soluta erunt in cælo.* Voluit hoc modo loquendi indicare remissionem & retentionem peccatorum in cœlo, sequi retentionem & remissionem factam à Ministris in terra. Atqui annunciationem remissionis peccati, non sequitur remissio in cœlo, sed præcedit. prius enim est peccata esse remissa in cœlo, quàm annunciari remissa in terra. Non igitur de annunciatione remissionis peccatorum Christus egit; aliàs tum dicere debuisset, non *quorum remiseritis, remissa sunt*; sed *quorum remissa sunt peccata, remittatis eis.* hoc est, annuncietis remissa. Et verò, vel Ministri annunciant peccata remissa, antequam sint remissa; & tunc falsò annũciant: vel postquam sunt remissa, & tunc prius peccata remittuntur in cœlis, quàm Ministri ea remittant, siue annuncient remissa in terris: neque constare poterit, quod ait Christus, id Deum remissurum esse in cœlis, quod illi remittant in terris.

Denique soluere & ligare, remittere, & retinere, aperire cœlum & claudere, sunt actus potestatis; nõ verò actus prædicationis. cùm igitur potestas tradita Apostolis, his actibus explicetur: certum esse debet, veram potestatem eis traditam; qualis est iudiciaria, ad remittenda peccata. Neque enim claues dantur, ad annunciandum apertam esse domum vel clausam; sed ad reipsa aperiendam vel claudendam. Neque potestas ligandi aut soluendi datur ad annunciandum aliquem esse solutum vel ligatum; sed ad re ipsa soluendum vel ligandum. Pari igitur ratio-

ne

ne potestas ad remittenda & retinenda peccata est data, ad verè & re ipsa peccata condonanda & retinenda.

At inquiunt: *Nemo potest peccata remittere, nisi solus Deus.* Ita cogitarunt in cordibus suis Pharisæi illi, cùm Christum remittentem peccata paralytico audirent; & propterea eum blasphemare crederent: quibus Christus miraculo facto respondit, non esse blasphemiam, homines peccata remittere diuina potestate. Quare & turbæ viso miraculo, *glorificauerunt Deum, quòd dederit talem potestatem hominibus.* Certè ne hoc incredibile videretur hominibus, Christus cùm hanc potestatem communicabat Apostolis, prius dixit: *Accipite Spiritum sanctum:* neque enim Spiritui sancto quidquam esse impossibile potest. Nam etiam quæuis miracula facere, hominum facultatem excedit: & tamen ea homines Dei virtute facere possunt. Cur igitur & remittere peccata Dei nomine non possint, tribuente Deo ad id faciendum Spiritum sanctum?

Peccata remittere homines, Dei virtute possunt.

Fuit eadem olim hæresis Nouati & Nouatianorum, qui cum Euangelicis sentiebant: Sacerdotes non remittere verè peccata, cùm id sit solius Dei proprium. Quam hæresim Cornelius in Concilio sexaginta Episcoporum damnauit, vniuersa comprobante Ecclesia. Refellit eam hæresim Ambrosius 1. de Pœnit. cap. 2. his verbis: *Sed aiunt, se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruant. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nā cùm ipse in Euāgelio suo dixerit Dominus Iesus:*

Hæresis eadem Nouati qua & Euangelicorū. Baron. Anno 255.

Acci-

Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. quis est qui magis honorat, vtrum qui mandatis obedit, an qui resistit? Ecclesia in vtroque seruat obedientiam, vt peccata & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens; vult ligare quod non resoluat, non vult soluere quod ligauit. Idem Ambrosius in Psalmo trigesimo octauo, ait: *Dominus quod ante erat iudicij sui dedit Apostolis, peccata remittendi æquitatem; ne cito soluenda, diu ligata manerent. Hæc Nouatianus non audiuit, sed Ecclesia Dei audiuit: non potestatem vsurpamus, sed seruimus imperio.* Chrysost. 3. de Sacerdotio ait: *Non solùm nos regenerant Sacerdotes, sed & postea condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, iisq; commissum esse, animæ lepras non purgatas probare & ostendere, sed prorsus purgare.* Hierony. in cap. 16. Matth. *Episcopus vel Presbyter pro officio suo, cùm peccatorum varietates audierit, scit qui ligandus sit, quiq; soluendus.*

Ministri nõ habent potestatem remittendi peccata.

Iam igitur Ministri Euangelici fateantur se non esse legitimos ministros, eo nomine; quòd potestate remittendi peccata careant, qua Christus ministros suos insigniuit. Eam illi neq; agnoscunt, neq; quantumuis agnoscerent, habere possunt: cùm à legitimis Episcopis non acceperint ordinationem. Quare sicut Catholici plurimum suis sacerdotibus debent, quòd inter cætera, ex eorum manibus peccatorum veniã, & Dei gratiam, & æternã vitam accipiant: ita Euangelici nihil planè suis Ministris eo nomine debent, cùm & se tam diuina potestate, & alios tã salutari potestatis fructu priuent. Quare si quid auertere fidelẽ à secta Euangelicorũ debet, est id; quòd peccatorum remissio, in qua salus animæ consistit, apud illos obtineri nullo modo possit.

Ne-

Neq; enim tueri se possunt, cùm aiunt, ad Deum recurrendum, ab eoq; peccatorum veniam postulãdam. Nam Deus ipse satis suam voluntatẽ indicauit, vbi nobis peccatorum venia quærẽda sit; dando hominibus suam potestatem, & obstringendo se nobis diuina sua promissione; quòd quæ ministri ab ipso instituti remiserint vel retinuerint in terra, ipse rata esset habiturus in cœlo. Quare sicut si quis ante baptismum veniam peccatorũ à Deo postularet, neglecto baptismo ad talem veniã dandã instituto; is ꝑculdubio frustra diuinã misericordiã imploraret, contemptis eius mandatis & constitutionibus: ita qui post baptismum in peccata lapsus, ad Dei misericordiam recurrere vellet, contempta potestate clauium, data sacerdotibus ad remittenda peccata, contempto iudicio sacramẽtali sacerdotũ, contempta cõfessione: is nunquam misericordiã à Deo consequeretur. Neque verò spes illa in Deo, diuinæ bonitati innixa, dicenda erit; sed præsumptio: cùm contra ordinem à Deo institutũ, speratur Dei gratia & misericordia.

Ad Deum recurrendũ per media ab eo instituta.

QVARTA DEMONSTRATIO.

Ministri legitimi sunt Sacerdotes offerentes Deo Sacrificiũ.
Ministri Euangelici non offerunt Deo Sacrificium Noui Testamenti.
Ergo non sunt ministri legitimi Noui Testamenti.

CAPVT VIII.

Ministros Euangelicos non esse legitimos ministros, cùm nõ sint Sacerdotes offerentes Deo sacrificiũ noui Testamenti.

RELigio & Sacrificium ita sunt inter se cõiuncta, vt altero sublato, alterum tolli necesse sit. Ita enim

Sacrificiũ est præcipuus Religionis actus.

enim Paulus ratiocinatur: *Translato sacerdotio,* (quod sine sacrificio consistere nequit) *necesse est vt legis translatio fiat.* Et meritò. Sacrificium enim est primus & præcipuus Religionis actus; quo Deum ita honoramus, vt eum supremũ Dominum & autorem omnium agnoscamus, in eumq; finem quæ ab ipso accepimus, ad ipsius honorem consumimus: vt ea veluti ceremonia, totum ab ipso accepisse, & totum eidem nos debere profiteamur. Quare non est dubiũ summum esse religionis actum sacrificiũ, & summo honore Deum priuari necessum erit; si priuetur sacrificio. Quam ob causam nulla gens fuit ita barbara & à ratione aliena, quæ id numen qualecunque, quod loco Dei habebat, sacrificio non coleret. Lex ipsa naturalis scripta in cordibus nostris exigit, vt Deus summo honore, non interno solùm, sed externo etiam colatur. Summus autem externus honor est, Sacrificium; quo, quæ à Deo accepimus, tota & integra in Dei honorem impendimus atq; insumimus. Quare & in veteri lege vario sacrificiorum genere Deus coli voluit, quòd iste esset summus honor qui ab hominibus ei præstari posset. Multò verò magis id necessarium esse in lege noua censetur; in qua excellentior Dei cultus continetur. Sacrificium quoq; longè excellentius esse debet, nisi velimus concedere maioré Deo cultum in lege veteri, quàm in noua exhibitum esse; & honorem quem ex sacrificiis legis veteris habebat, in lege noua non habere.

Nulla gens carebat sacrificio.

Est igitur legis nouæ sacrificium vnicum quidem illud; sed diuinissimum, & omnia sacrificia legis veteris longè superans; nempe sacrificium corporis & sanguinis Domini; quo & Deo summus honor exhibetur

hibetur, & nobis maxima beneficia impetrantur. Quod etsi semel oblatum est in cruce pro totius mũdi salute: diuina tamen sapientia & bonitas inuenit modum, quo semper, religionis causa, in altari offerri posset, & nunquam consumi. *Ego*, dicebat D. Andreas Apostolus, *Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem; sed immaculatum agnum in altari, cuius carnem postea quam omnis populus credentium, manducauerit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.* Hoc igitur tam diuinum sacrificium perficiendi & offerendi potestatem dedit suis ministris Christus Dominus, ipse existens summus Sacerdos & Pontifex, & oblator huius sacrificij per manus ministrorum, qui eius nomine, eius verbis, eius potestate, hoc sacrificium in terris administrant.

Sacrificium nouæ legis vnicum.

Christus dedit potestatem ministris suis cõficiendi sacrificium.

Quæ cùm ita se habeãt, facilè est decernere, num Euangelici Ministri vel nostri Sacerdotes sint legitimi ministri? Ministros enim suos ornauit ea potestate Deus, vt *ab ortu solis vsque ad occasum, in omni loco sacrificent & offerant nomini eius oblationem mundam.* quemadmodum prædixit Malachias Propheta; illam inquam, Melchisedechianã & vnicam oblationem noui Testamenti. Hanc oblationem cùm non exhibeant Deo Ministri Euangelici, sed nostri duntaxat Sacerdotes: sequitur non illos sed hos esse legitimos Christi ministros, qui potestatem à Christo sibi datam, & agnoscunt & exequuntur.

Malach. 1. v. 12. Hanc non habent Euangelici ministri.

Vertunt se hîc in omnes partes aduersarij, & primum aiunt: Nullũ esse in lege noua aliud sacrificiũ, nisi illud quod in cruce oblatũ est. Quasi verò & nos

Aduersariorũ prima respõsio impugnatur.

aliud inducamus ab illo diuersum, & non illud potius, ad perpetuam Christi memoriam & cõmemorationem, vti in cœna præcipit ipse Christus, renouemus & repræsentemus, Melchisedechiano modo & ritu, sub panis & vini specie. Duo enim habemus de sacrificio noui Testamenti, & quod vnicum esse debeat, & quod offerri nihilominus in omni loco, atq; adeò in toto mundo debeat. Illud primum asseruit Diuus Paulus, qui etiam quoties de vno sacrificio agit; cruentum intelligit, eamq; rationem affert, quia *aliàs oporteret*, inquit, *Christum frequenter pati*, si vnum sacrificium in cruce factum non sufficeret. Hoc verò posterius asseruit multò ante Malachias, vbi prædicit non in vno, sed in omni loco ab ortu vsque ad occasum sacrificatum iri Deo, tot sacrificiis, quot locis. Quando verò id futurum sit, ostẽdit manifestè, cùm subiungit: *quia magnum est nomen meum in gentibus*. Et: *non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & non suscipiam munus de manu vestra*. Nempe quando cessatura erant sacrificia Iudæorum, & gentes erant conuertendæ ad Deum, (quod futurum erat in lege noua.) Tunc in locum sacrificiorum Iudaicorum, successura erat oblatio munda in toto mundo Deo offerenda.

Nota duo de sacrificio noui Testamenti.

Hebr. 9. v. 29.

Malach 1. v. 11.

Hæc porrò oblatio munda non est alia, quàm oblatio corporis & sanguinis Domini: tum quia nulla alia est oblatio noui Testamenti, nisi oblatio corporis & sanguinis Domini: tum quia nulla alia oblatio est munda. Nam si de spirituali oblatione cordis nostri explicare voluerint: primùm non aduertunt Prophetam non agere de sacrificio interno & spirituali, cùm spirituale sacrificium æquè Iudæi tum offe-

offerrent Deo, ſicut & gentes erant oblaturæ. Tale autem ſacrificium prædicit futurum in omni loco, quale tunc non erat apud Iudæos. Expreſsè etiam loquitur de ſacrificiis externis, quæ tunc Iudæi offerebant, in eorumq́; locum ait ſubſtitutum iri ſacrificium gentium. Quod Paulus explicans, inducit Chriſtum loquentem: *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*; indicans in locum veterum ſacrificiorum, ſucceſſiſſe ſacrificium corporis Domini. Deinde ſacrificium cordis noſtri non eſt oblatio omni quaque munda. *Quis enim dicere poteſt, mundum eſt cor meum.* Et: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sola igitur oblatio corporis Domini eſt ita munda, vt & nos emundare poſſit ab omni iniquitate. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationẽ carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti.* Erant quidẽ & ſacrificia legis ſuo modo mũda; ſed ad ſanctificationem carnis, non ſpiritus; hoc eſt, mundiciem tantùm carnalem & legalem, & quaſi Politicam inducebant, vt quis non reputaretur pollutus ſecundum legem. At ſacrificium Chriſti eſt mundum, ad ſanctificationem Spiritus, & conſcientiæ emundationem ab omni iniquitate.

Explicatur Malachias.

Prou. 20. v. 9.

1. Ioan. 1. v. 8.

Heb. 9. v. 13

Sacrificia legis quomodo erant munda.

Cùm igitur duo habeamus in ſcripturis, ſacrificium nouæ legis eſſe & vnum, & offerendum in omni loco; coniungenda ſunt hæc duo ad hunc modum, vt vnum ſit ſacrificium, quia vnus & idem Chriſtus eſt qui ſacrificatur, qui ſemel quidem ſa-

Quomodo vnũ eſt ſacrificium et quomodo duo.

crificatus eſt cruentè, incruentè autem ſemper & in omni loco. Neq; propterea erunt duo diſtincta ſacrificia. nam in hoc incruento illud idem quod fuit in cruce peractum, exhibetur & repræſentatur, eiuſque tota vis & fructus nobis applicatur. Huius rei exemplum eſſe poſſet huiuſmodi. Si eſſet teſtamentum à teſtatore conſtitutum, manu & ſigillo ipſius firmatum, ſint alia deinde teſtamenta ex hoc primo & originali extracta: Nunquid hic eſſent plura teſtamenta? minimè; Nam hæc dicuntur teſtamenta, quatenus illud vnum & primum teſtamentum exhibent ac repræſentant, eiuſq; virtute operantur. Pari ergo ratione incruentum hoc Sacrificium exhibet, & repræſentat nobis illud principale Sacrificium in cruce peractum, eiuſq; virtutem in nos diffundit, ideo non nouum & diuerſum ab illo ſacrificium; cùm & ſubſtantia, & virtute ſit illud ipſum, ratione tantùm & modo offerendi diuerſum.

Oſtenditur ex Paulo Chriſtum & in cœlis eſſe ſacerdotem offerentem.

Verùm non Malachias modò, ſed & Paulus in dicta Epiſtola ad Hebr. in qua oſtendit Chriſtum ſemel ſe obtuliſſe, oſtendit etiam ſemper habere quod offerat in cœlis, exiſtens tanquam Sacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedech. Ita docet enim expreſſe in cap. 8. Poſtquam enim dixiſſet ℣. 1. *talem nos habere Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis*; & non quaſi defunctus officio Sacerdotali, ſed tanquam *Sanctorum miniſter*, τῶν ἁγίων λειτουργός. id eſt ſanctuarij illius cœleſtis publicus Miniſter, officium ſuum ſacerdotale publicè gerens. Subiungit deinde verſ. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur*, tum concludit, *vnde neceſſe eſt & hunc habere quod offerat*: ita vt hoc argumento videatur

deatur Apostolus eam totam ratiocinationem complexus. Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, at noster Christus est Pontifex in coelis residens, sanctuarij coelestis Minister & Sacerdos factus, ergo in coelis existens habere debet quod offerat & sacrificet Deo. In qua tota argumentatione Paulus de proprio & externo sacrificio agit, & probat Christum non solùm sacrificasse in terris; sed etiam in coelis modò sacrificare. In terris quidem sacrificauit cruentè semel, in coelis autem sacrificium perpetuò offert tanquam Pontifex secundum ordinem Melchisedech. Ipse enim tanquam summus Pontifex residens in coelis, per manus suorum ministrorum in terris, Deo Patri suum sacrificium sub specie panis & vini perpetuò repræsentat.

Occurritur obiectioni. Nam quod aiunt offerre preces pro nobis, & interpellare pro nobis: id minimè satis est; quia Sacerdos non instituitur propter preces, sed propter vera sacrificia offerenda. Nam preces etiam non Sacerdotes offerre possunt & debent: Sacrificia autem non nisi Sacerdotes. Christum verò in coelo existentem, eo quòd sit Sacerdos, vult Apostolus debere habere quod offerat. Interpellare est quidem munus Sacerdotis; sed non nisi in sacrificio. Offerẽdo enim sacrificium dicitur interpellare ad modum Sacerdotis; extra sacrificium verò, secundum modum duntaxat communem interpellat.

Deniq; Christus cùm sit Sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech; sacrificare debuit secũdum ordinem

&

& ritum Melchiſedechianum: & cùm ſit Sacerdos in æternum; nunquam debuit defungi officio ſacerdotis Melchiſedechiani: ad hoc enim eſt Sacerdos, vt offerat, teſte Apoſtolo. Atqui in cruce ſanctificauit quidem Chriſtus ſeipſum, non tamen ritu & forma Melchiſedechiana. Nunquam enim cruentè ſacrificauit Melchiſedech, ſed tantùm panem & vinum obtulit, *cùm eſſet Sacerdos Dei altiſſimi.* Neceſſe igitur eſt, vt cōcedatur ſacrificium Melchiſedechianum, quod ſit proprium legis nouæ ſacrificium. Aliàs duo abſurda conſequentur; Alterum, quòd Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, nunquam ſacrificauerit ritu & ordine Melchiſedechiano. Alterum, quòd lex noua eſt ſine ſacrificio; nam non ſatis eſt, quòd Chriſtus ſacrificauit: ſed etiã neceſſe eſt, vt hómines ſacrificent; ne Deus perpetuo honore, qui illi per ſacrificium exhibetur, & homines perpetua religione, quæ in ſacrificio (quod eſt præcipuus religionis actus) continetur, priuentur. Deinde ſacrificium in cruce peractum, non eſt nouæ legis propriũ, ſed commune omnium temporum, ſæculorum omnium & omnium hominum: cùm Chriſtus pro omnibus hominibus, omnium temporum ſeipſum ſacrificauerit in cruce, quare ſi non ſit aliud ſacrificiũ Melchiſedech, lex noua erit ſine ſacrificio. Quomodo ergo verum erit, quod Paulus de lege veteri & noua loquens, ait: *Translato ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat.* nō enim translatum, ſed penitus abolitum eſſet ſacrificium in legis translatione.

Si nō datur ſacrificium noua legis ſequuntur duo abſurda.

Geneſ. 14. v. 18.

Sacrificiũ in cruce nō eſt propriũ legis noua.

Hebr. 7. v. 11.

Aduerſariorum ſecũda reſpōſio refutatur.

Aiunt præterea, nuſquã legi in ſcripturis Chriſtũ aut Apoſtolos tale ſacrificiũ obtuliſſe. At ſi diligẽtiùs inſpicere velint, legere poterunt, ſicut Eccleſia Ca-

tholica

tholica hactenus legit. Dico igitur Christũ Dominũ primum huius ſacrificij autorem & inſtitutoré fuiſſe, ipſumque primum in vltima cœna obtuliſſe, tunc nimirum cum diſertis verbis aſſeuerauit, ſe corpus & ſanguinem ſuũ dare, non ſolùm nobis ad manducandum & bibendum; ſed etiam pro nobis Deo in remiſſionem peccatorum. Dedit enim nobis corpus & ſanguinem, vt ſacramentum; dedit pro nobis vt ſacrificium. Verba Chriſti expreſſa ſunt apud Lucam 22. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Expreſſiora apud Paulum: *quod pro vobis frangitur*, ita enim Græcus textus habet; τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Licet enim idem ſit, corpus Chriſti pro nobis frangi quod dari: tamen is modus loquendi indicat, corpus Chriſti ſub ſpecie panis pro nobis dari, ſiquidem à pane deſumptus eſt. Panem enim frangere, vſitato in ſcriptura more loquendi eſt dare. Hinc illud: *Frange eſurienti panem tuũ*, hoc eſt, da. Ex eo porrò conſequitur, Chriſtum pro nobis dediſſe corpus ſuum in cœna ſub ſpecie panis, ac proinde obtuliſſe Deo, & ſacrificaſſe.

Chriſtum obtuliſſe ſacrificiũ incruentum probatur.
1. Cor. 11. ℣. 24.

Idem de ſanguine pronunciauit Chriſtus Matth. 26. *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Marci 14. *Qui pro multis effunditur.* Lucæ 22. *Hic calix nouum Teſtamentũ in ſanguine meo, qui* (calix) *pro vobis effunditur.* Quæ verba non ſolùm ſignificant in præſenti, effundi ſanguinem, ſed & ſub ſpecie vini effundi. Clarè enim apud Lucam habetur: Calicem ſanguinis effundi. In Græco enim illud relatiuum *Qui*, nõ ad ſanguiné, ſed ad calicem refertur. τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. hoc eſt, Hic calix, qui pro vobis effunditur. Sic igitur Chriſtus Dominus ſub ſpecie vini effunde-

bat ſanguinem pro nobis in vltima cœna. Et ſane notandum eſt in Græco textu non legi vſpiam in futuro, dabitur, tradetur, effundetur; ſed ſemper in præſenti, ſicut & in pleriſque Latinis exemplaribus: vt intelligamus tunc fuiſſe ſacrificium peractum antequã illud in cruce inchoaretur.

Apoſtolos obtuliſſe ſacrificium incruentũ probatur.

Quod ad Apoſtolos attinet: ij mandatum ab ipſo Chriſto acceperunt hoc ſacrificium offerendi. Dicente enim Chriſto; *Hoc facite in meam commemorationem.* intellexerunt ſe diuino præcepto obſtrictos ad faciendum quod viderant Chriſtum feciſſe. Quemadmodum igitur Chriſtus dabat corpus ſuum & ſanguinem, & ipſis, & pro ipſis: ita & Apoſtoli idem facere tenebantur; & proculdubio fecerunt, quoties cœnam Domini celebrarunt. Quare & D. Paulus diſertè meminit, *menſæ Domini, & menſæ Dæmoniorum,* nomine menſæ intelligens altare in quo immolabatur, hîc Dæmoni, illic Deo; eſt enim altare menſa ſacrificij. Et: *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt.* Quia enim dixerat, *melius eſſe cor ſtabiliri gratia quàm eſcis* mox ſubiunxit qualem eſcam in altari habeamus, *quam edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Hæc eſca non eſt Chriſtus in altari crucis oblatus, hanc enim eſcam habent poteſtatem edere per fidem omnes homines tam fideles quàm infideles: ſed eſt Chriſtus in Sacramento; qui quidem eſt eſca de altari; quia prius ſacrificatur Deo, tum à fidelibus editur. Diuus Andreas Apoſtolus, cùm idolis ſacrificare nollet, ait ſe quotidie Deo immolare agnum immaculatum in altari; quod Presbyteri Achaiæ teſtes oculati eius Martyrij de ipſo ſcriptum reliquerunt. Extat D. Iacobi

1. Cor. 10. ℣. 21.

Hebr. 13 ℣. 02.

cobi

cobi Apostoli Liturgia, qua etiam hucusque Græca Ecclesia suo tempore vtitur. Extat & in actis Diui Lucæ testimonium, cap: 13. v. 2. *Ministrantibus autē illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam.* Quomodo enim ministrabant Domino, nisi sacrificando? Nam ministerium verbi & Sacramentorum exhibetur hominibus, non Deo. Ministerium autem Deo exhibitum est sacrificium; maximè cùm vox Græca λειτουργία non quodlibet ministerium, sed publicum duntaxat, seu publici officij ministeriū significet. Quod verò aliud ministerium ex officio quasi publico, Deo exhiberi poterat, nisi sacrificium? Quare & Erasmus, rigidus ille Catholicorum censor, vertit pro ministrantibus, sacrificantibus, & Græcis Missæ sacrificium dicitur Liturgia, seu ministerium publicum. Quod si quis dicat ministrando hominibus Sacramenta, ministrare se Deo, quia ad honorem Dei hominibus ministratur, ad eum modum quo Paulus ait: *Qui manducat, Domino manducat.* Respondeo id satis non esse. nam pari ratione dixisset, *ieiunantibus Domino*, cùm etiam ieiunium ad honorem Dei & propter Deum fieret. non igitur de ministerio, quod exhibetur hominibus propter Deum, sed de ministerio sacrificij, quod exhibetur soli Deo, loquitur hoc loco D. Lucas. *Obiectio soluitur.*

Aiunt tertiò, irrogari maximam iniuriā sacrificio in cruce peracto. Respondemus, per sacrificium incruentum, non solùm nulla infertur iniuria sacrificio cruento; sed etiam hoc maximè per illud illustratur. Primum, quia hoc sacrificio exhibetur repræsentatio sacrificij cruenti, & quasi ob oculos ponitur idé ipse Christus in cruce confixus; hinc corpus, hinc sanguis, *Aduersariorum tertia responsio refellitur.*

cum annunciatione mortis Domini, quam commemorationé Christus in vltima cœna præcepit. Quare tollere hoc sacrificium quid aliud est, quàm viuam memoriam passionis & mortis Domini tollere? Deinde quia hoc sacrificium totam suam substantiam & virtutem accipit ab illo sacrificio. nam & idem Christus in hoc & illo sacrificio offertur: & virtute illius sacrificij hoc sacrificium operatur, cùm ad illius fructum hominibus applicandum sit institutum. Neque enim satis est Christum in cruce nobis plurima meruisse; nisi medijs à Deo institutis hunc fructum percipiamus. Quare sicut Sacramenta diuersis modis applicant hominibus fructum passionis & mortis Domini: ita & hoc sacrificium incruentum, per modum oblationis factæ Deo, eundé fructum applicat ijs pro quibus offertur. Non igitur impedit, sed potius amplificat & illustrat hoc sacrificium, fructum sacrificij cruenti. Aliâs simili ratione dicendum esset, Baptismum inferre iniuriam passioni Christi, quia præter passionem Domini, requiritur ad salutem. Cùm tamen res aliter habeat: quamuis enim Baptismum requiramus ad salutem: non requirimus tamé ad euacuandum fructum passionis Christi, sed potius ad applicandum nobis. Inter cæteros enim modos à Deo institutos ad applicandum fructum passionis Domini, est Baptismus. Pari igitur ratione sacrificiũ incruentum non destruit, sed applicat fructum sacrificij cruenti.

Ex his itaque patet manifestè, nullo modo Euangelicos Ministros esse legitimos ministros, cùm potestate offerendi Deo sacrificium noui Testamenti proprium, careant. Quæ potestas proculdubio ad mini-

ministros Christi pertinet, quos Christus constituit dispensatores mysteriorum suorum.

QVINTA DEMONSTRATIO.

Christus suis ministris dedit potestatem conficiendi Sacramentum corporis & sanguinis sui.

Hanc potestatem nec habent, nec agnoscunt Ministri Euangelici:

Non sunt igitur veri Christi ministri.

CAPVT IX.

Ministri Euangelici nullam habent potestatem conficiendi Sacramentum corporis & sanguinis Domini, ideoque non sunt legitimi ministri.

Minimè dubitari potest præcipuam potestatem, qua ministros suos ornauit Christus, esse potestatem illam admirabilem conficiendi corporis & sanguinis Domini in Sacramento. Nam si Paulus Ministros asserit constitutos dispensatores mysteriorũ Dei; certè id de mysterio maximo atque diuinissimo, quale hoc est, intelligi debet. Neque vnquam auditum est in Ecclesia, vt quispiam facultatem hoc ministerium conficiendi haberet; qui non esset vocatus sicut Aaron, & ad id officij sollenni ritu inauguratus. Quare si vel puer, vel mulier, aut quiuis de plebe hoc mysterium conficere attentaret; irritum planè, totum quod faceret, ac inane existimari ab omnibus deberet. Disertis siquidem verbis Christus Dominus in vltima cœna huius mysterij conficiendi potestatem solis Apostolis commisit. *Hoc* inquit, *facite in meam commemorationem.* Noluit Christus omnes fideles esse ministros; multò minus voluit esse tanti Sacramenti ministros. *Nunquid enim omnes Apostoli?*

Præcipua potestas ministrorum verorum.

nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? Sic igitur non est cuiusuis hoc Sacramentum conficere; neque ratum haberi debet, si ab alio quàm à legitimo ministro conficiatur: necesse est diuinam quandam potestatem in ministris inesse ad tantum conficiendum Sacramentum, eamque illis in ordinatione & consecratione communicari. Diuinam inquam. non enim potestas Sacramenta conficiendi est humana; sed prorsus diuina, præcipuè in hoc diuinissimo Sacramento. Nam si omnẽ facultatem humanam excedebat, vt ad vnius hominis vocem sol consisteret, & Luna non moueretur, *obediente Deo* (vt ait scriptura) *voci hominis*: quanto magis superat hominis potestatem, Christum in cœlis ad Patris dexteram residentem, constitui in altari sub modica panis & vini specie. Quare merito D. Chrysostomus 3. de Sacerdotio lib. tanquam miraculum suspicit *eam Dei benignitatem, quòd qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur.* Et Homil. 60. ad populum Antiochenum, idẽ mysterium admirans: *Quo* inquit, *non oportet esse puriorem, tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc diuidentem? Os quod igni spirituali repletur, linguam qua tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur.*

Iosue 10. ℣. 13.

Euangelici hanc potestatem conficiendi corpus & Sanguinem

Iam igitur prodeant Euangelici, & ostendant tam diuinam in suis ministris potestatem. ostendent sanè nunquam, cùm eam neque ab ipso Deo neque ab ordinarijs Ecclesiæ pastoribus, per legitimam ordinationem & consecrationem accipiant. Et quod maius

est,

est, nihil planè magnum & admirabile, quodque diuinam potestatem requirat, in hoc Sacramento agnoscunt. Nam aut negant Christi corpus re ipsa in Sacramento esse, vt Caluinistæ: aut asserunt quidem re ipsa existere, vt Lutherani; sed neque eo modo quo Christus existere voluit, neque ea potestate, quam ipse communicauit. Nam quod ad modum attinet, Christus ita voluit existere corpus suum in Sacramento, non vt esset cum pane mixtum, sed vt esset tota substantia Sacramenti; nihilque aliud esset in Sacramento præter corpus suum. Non enim dixit, *Hic est corpus meum*, sed *Hoc est corpus meum*. scilicet, id quod manibus teneo, quod vobis trado, nihil aliud est quàm corpus meum. Neque verificari verba Christi possunt, nisi de tota substantia ibi existente intelligantur. Falsum enim esset, Hoc est corpus Christi, si aliud quoque esset, quod non esset corpus Christi. *Christi in Sacramento non habent. Non est alia substantia in Sacramento præter substantiam corporis Christi.*

Quod verò ad potestatem spectat: eam Lutherani nullam esse volunt. totum enim fidei tribuunt, non potestati. Fidem enim verbis Christi dum adhibent; fide tum illico existere dicunt corpus Christi toto manducationis tempore, Quod est apertè Christi verbis repugnare, qui in vltima cœna eam potestatẽ non fidei, sed Apostolis tradidit. *Hoc facite in meam commemorationem*. Illud nimirum faciendum Apostolis præcepit, quod ipse tum faciebat. Inter cætera autem quæ tum faciebat, erat illa panis benedictio & calicis, qua effecit, vt panis esset corpus ipsius & vinũ sanguis. De qua Paulus disertis verbis ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Quibus verbis benedictionem non solum refert ad Deum, sed ad ipsum calicem, qui benedicitur, *Non fide sed re existit corpus Christi in Sacramento.* *1. Cor. 10. ℣. 16.*

tur,

tur, & per benedictionem ita transmutatur, vt fiat communicatio sanguinis Domini. Si igitur iussit Christus Apostolos facere quod ipse tum fecit: iussit proculdubio, vt benedicerent panem & vinum, ipsaque benedictione transmutarent, vt essent corpus & sanguis Domini; ad eum modum quo in Cana Galileæ simili benedictione & potestate, aqua vinum est facta. Non ergo satis est credere esse corpus Christi; sed opus est benedictione & potestate, vt panis fiat corpus Christi, vti semper tenuit Ecclesia Catholica. Et nisi hoc admittatur: fiet, vt quilibet fidelium possit hoc Sacramentum conficere. Si enim fide constituitur corpus Christi in Sacramento; sicut quilibet fidelium potest credere; ita poterit efficere, vt corpus Christi in Sacramento existat, idque non solùm in sacra mensa, sed & in profana, quoties panem suum Euangelici manducant, & bibunt vinum in suis conuiuijs, prandijs & cœnis: & sic omnes panes implebuntur Christi corpore, omnia dolia Christi sanguine, solùm si quis fide cogitet ibi esse Christi corpus & sanguinem. Quo nihil absurdius, nihil contra tam diuini Sacramenti dignitatem indecentius dici aut excogitari potest.

Absurdum ex doctrina hæreticorū.

Hinc verò manifestum est, quantam iniuriam Euangelici inferant omnibus fidelibus, cum Christū ex sacramento tollunt, & potestatem, qua in Sacramento præsens exhiberi debet, nullam admittunt. Sublato enim Christo ex Sacramento, perit vita æterna. Ea siquidem non à pane & vino, sed ab ipso Christo communicatur, dicente Christo: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Perit & omnis gratiæ diuinæ fructus, qui ex Christi præsentia vberrimè effluit in

Iniuria grauis afficiunt hæretici omnes fideles cum Christum ex Sacramento tollunt.

Ioan. 6.

in animas noſtras. Nam ſi cum tangeretur à turba Chriſtus, ſentiebat ex ſe virtutem exire, & omnis qui illum tangebat, ſanabatur: quantò magis neceſſe eſt id accidere in Sacramento, quod ad eum finem inſtitutum eſt, vt quidquid ad vitam ſpiritualẽ neceſſum eſt, nobis à Chriſto concedatur, cùm ſit verus cibus animarum noſtrarum. Hic igitur eſt fructus noui iſtius & quinti Euangelij, vt nobis Chriſtum auferat, & cum Chriſto omnia bona, quæ non niſi in Chriſto nobis donata ſunt. Miniſtris verò Chriſti ita ſunt iniurij, vt eos omni prorſus poteſtate priuent, vt nihil ſit quod Miniſtri faciant, quod & quiuis non miniſter, eadem ratione præſtare non poſſit.

Afficiunt cauè iniuria et miniſtros Chriſti.

Aiunt illi Sacramenta eſſe ſigna: fateor. At ſigna non vacua, neq; inania; ſed plena rerum & fœcunda, & id quod ſignificant exhibentia. Baptiſmus, verbi gratia, ablutione externa ſignificat ablutionẽ internam in anima per effuſionem gratiæ Spiritus ſancti; eamq; nõ ſolùm ſignificat, ſed & exhibet. neq; enim ſignificat futuram ſed præſentem. Pari ratione, panis & vinũ in Sacramento, ſunt ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, non tam abſentis, & à Sacramento remoti; ſed tanquam præſentis, & in Sacramento exiſtentis. Hoc enim, non aliquid extra hoc, Chriſtus aſſeruit corpus ſuũ. Sunt etiam ſigna gratiæ diuinæ, quæ etiã ipſa actu exhibetur iis, qui ea fuerint digni.

Obiectioni ſatisfit.

Quorſum (inquiunt) ſigna, ſi res ipſa præſens adeſt? Nimirum, quia res quæ adeſt, inuiſibilis eſt, & ſub aſpectum non cadens; neceſſe fuit eam ſigno viſibili & aſpectabili denotari. Solùm enim tũc ſigna ſuperflua ſunt, cùm res ipſa per ſeipſam videtur, & incur-

Prima inſtantia ſoluitur.

rit in sensum. ad ea enim quæ non videmus, non ad ea quæ videmus signis vtimur. Atqui in scriptura inquiunt, dicitur hoc Sacramentum panis & vinum. Nimirum eo modo quo aqua dicitur vinum facta in Cana Galileæ. Panis est, sed q factus est corpus Christi, & benedictione mutatus. Panis est, sed externa solùm specie, non interna substantia. quomodo & columba, in cuius specie Spiritus sanctus apparuit, & linguæ igneæ propter externam speciem sunt eo nomine appellatæ. Panis est, sed spiritualis, non materialis. *Panis* inquit, *quem ego dabo, caro mea est, pro mũdi vita*; quibus verbis panis huius essentiam explicauit. Sicut & illis: *Hoc est corpus meum.* Rectè igitur Cyrillus Hierosolymitanus in sua Catechesi 4. *Pro certissimo habeas, panem hunc qui videtur à nobis nõ esse panem, etiãsi gustus, panẽ esse sentiat, sed esse corpus Christi.* Et August. 3. de Trin. cap. 10. ait: *in illa specie* (nempe panis) *omnino Dominum oculis mortalium apparere.*

Secũda instantia soluitur. Aiunt scripturam ostendere Christum in cœlo ad Dei dexteram: idq; vsq; ad tempus restitutionis omnium. Rectè sanè, id enim nos quoq; credimus, Christum secundum formam visibilem, & mundum reliquisse, & sedere ad dextram Dei, & non venturum in terras, nisi ad iudicium extremum. At eadem scriptura docet Christum forma inuisibili esse in Sacramento, idq; vsq; ad finem sæculorũ, quam diu Sacramentorum vsus perdurabit. Semper enim vera erunt Christi Domini verba: *Hoc est corpus meum.* vera, inquam, & sua efficacia efficient quod significant.

Ex his manifestum est quàm infirma sunt aduersariorum præsidia, quibus sicut tueri se non possunt, ita conuinci possunt, quòd cum potestate conficien-

 di cor-

di corporis & sanguinis Domini, in Sacramento careant, non sint legitimi ministri. Ministros enim potestas facit.

SEXTA DEMONSTRATIO.

Legitimi ministri sunt dispensatores Sacramentorum.
Ministri Euangelici non sunt dispensatores sed dissipatores Sacramentorum:
Non sunt igitur legitimi.

CAPVT X.

Ministri Euangelici non sunt legitimi Sacramentorum ministri.

MInistros suos fecit Christus dispensatores mysteriorum suorũ. Dispensatores inquam, non dissipatores. Dispensator omnia quæ à Domino tradita sunt, conseruat, nihil diminuit, nihil pdit. Dissipator his contraria facit oĩa. Facile igitur apparebit, qui sint dispensatores, & dissipatores Sacramentorũ. Et quidẽ Catholici Sacerdotes oĩa septem Sacramenta, quemadmodum per mille sexcentos annos Ecclesia & Christianus orbis habuit, integra habent, conseruant, administrant; virtutem, quam illis concessit sua institutione Christus Dominus, ad cõmunicãdam diuinam gratiam, integrè & absq; diminutione agnoscunt: modum deniq; administrandi hactenus vsurpatum in Ecclesia retinent & conseruant, in eoq; vnicè gloriantur, quod nihil nouum, in solés in Sacramentis inuehant, quod non semper Ecclesia Catholica obseruauerit. 1. Cor. 4. v. 1 *Catholici sacerdotes sunt veri dispensatores Sacramentorum.*

Euangelici verò primũ in substantiam Sacramentorum inuolarunt, & ex receptissimo Sacramentorũ *Euangelici Ministri sunt dissipatores,*

 nume-

numero quinq; ſuſtulerũt, duobus vix pepercerũt, Baptiſmo & Euchariſtiæ, quanquam & Euchariſtiæ vulnus grauiſſimũ inflixerũt, ſublato ex Euchariſtia vero Chriſti corpore. Quid enim eſt Euchariſtia, Chriſti corpore deſtituta? Caluiniſtæ quidem penitus Chriſtum à Sacramẽto ablegarunt in cœlum, ad quem etiam in cœlum vſq; fide volitant. Lutherani verò corpus Chriſti cum pane miſcuerunt, in pane, cum pane, ſub pane illud conſtituentes, idq́; ſolum manducationis tempore. Nam citra manducationẽ nihil niſi panẽ ſimplicem confitentur. Iam ſi quæras qualem virtutẽ Sacramentis concedant ad ſanctificandas animas noſtras: dicent nullã habere virtutẽ; ſed eſſe ſigna duntaxat excitantia fidem ad diuinas promiſſiones credẽdas, nihilq́; ab his ſignis in animas noſtras proficiſci præter nudam ſignificationem. Hanc doctrinam eſſe Euangelicorum & libri eorum teſtantur & cathedræ, neq; vllus diffitebitur niſi qui Euangelicos vix de nomine norit. Sed ſi ita eſt, nonne manifeſtum eſt Euãgelicos Miniſtros eſſe diſſipatores, non diſpenſatores myſteriorum Dei?

Obiectioni reſpondetur & probantur eſſe ſeptem Sacramenta.

At inquiunt, Apoſtolum & antiquam Eccleſiam, ſeptem Sacramenta non agnouiſſe. Quomodo igitur in ſcriptura omnia commemorantur? De Baptiſmo & Euchariſtia fatentur ipſi, Confirmationis in Actibus perſæpe fit mentio, cùm per impoſitionem manuum dabatur fidelibus baptizatis Spiritus ſanctus. Sacramentum pœnitentiæ ex poteſtate à Chriſto data ad remittenda & retinenda peccata clarè colligitur. Extremæ vnctionis meminit Iacobus Apoſtolus, in ſua canonica Epiſtola. Ordinem Caluinus ipſe veritate adactus in numero Sacramen-

cramentorum reponit, cùm & ritum externum, (videlicet impositionem manuum) & promissionem gratiæ habeat. Matrimonium Paulus ipse magnum Sacramentum appellat, cui ad dignè repræsentandam Christi cum Ecclesia cõiunctionem, gratia Dei attributa est. Quæ omnia diligentissimè prosequitur Cardinalis Bellarminus in suis de Sacramẽtis disputationibus, cui hactenus omnes Euangelici respondere non potuerunt. Ephes. 5. v. 32.

Antiquitatis testem, omni exceptione maiorem August. adfero, qui omnia septem Sacramenta enumerat, non ex suo solùm, sed Ecclesię Catholicæ sensu & consensu. De Sacramento Confirmationis, lib. 2. con. Epist. Petiliani, cap. 104. sic habet: *Sacramentum* inquit, *Chrismatis, in genere visibiliũ signaculorũ est Sacramentum, sicut Baptismus.* De Sacramento Ordinis, de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. *Vtrumque* inquit, *Sacramentum, & quidem consecratione vtrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur.* De Matrimonij Sacramento, lib. de bono Coniug. cap. 29. vbi illud in ratione Sacramenti confert ordinationi, quam prius cum Baptismo contulerat: *Bonum* inquit, *nuptiarũ, in sanctitate Sacramenti est, quod manet in coniugatis, licet proles non sequitur, sicut Sacramentum Ordinationis manet in ordinatis, licet plebem non congregent.* De Sacramento Pœnitentiæ, lib. de adulterino coniugio, cap. 26. & 28. *Eadem* inquit, *est causa Baptismi & reconciliationis, sine quibus sancti homines credunt se non debere exire è corpore.* De Sacramento extremæ vnctionis 2. de Visit. infir. cap. 9. citat autoritatem Diui Iacobi in sua Epistola.

Si dicant Euangelici Augustinum nomen Sacramenti latè accipere, cōuinci primùm possunt ex eo, quòd eo sensu vocat alia Sacramenta, quò Baptismū, cum quo alia cōnumerat, vt ex testimoniis allatis patet. Deinde aduersarij septem Sacramenta, neq; strictè, neq; latè accepto Sacramenti vocabulo, admittunt; ideoq; Augustini autoritate, quicquid dicant premuntur. Tanto verò pluris esse debet Augustini testimonium, quod eius testimonium, est totius Ecclesiæ Catholicæ testimonium. Ille enim non suæ, sed Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta enumerat, illius inquam Ecclesiæ, quæ (vt ipse ait) *ab ipso Christo inchoata, & per Apostolos prouecta certa successionum serie, vsque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata est.* Semper igitur, Augustino teste, fuerunt in Ecclesia septem Sacramenta, siquidem Ecclesia illa quæ Augustini tempore septem Sacramēta agnoscebat, fuit à Christo inchoata, per Apostolos prouecta, & certa successione toto terrarū orbe dilatata. Iam de virtute Sacramentorum quid dicam? quam Euangelici ita extenuant, vt nihil Sacramentis præter significationem relinquant, contra expressa in diuinis literis testimonia. Dicit .n. scriptura S. nos ex aqua & Spiritu S. renasci & regenerari. Baptismum esse lauacrum regenerationis, quod non est solùm significare regenerationem nostram spiritualem, sed eam operari. De Eucharistia dicit Christus: *qui manducat hunc panem, viuet in æternū.* eo scilicet modo, quo à pane oritur vita corporalis, à pane quoque Eucharistico vita spiritualis oritur; nō significatiuè duntaxat, sed effectiuè. Potestas ad remittenda peccata data Apostolis in Sacramento Pœnitentiæ, non significat solùm, sed & efficit

Lib. 18. cōtra Faustū. Cap. 2.

Virtus Sacramentorum contra Hæreticos asseritur.

efficit

efficit peccatorum remissionem. Gratia quæ datur per impositionem manuum in sacra Ordinatione & Confirmatione, non tantùm significatur, sed etiam verè confertur. Rectè igitur Augu. tract. 80. in Ioan. Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Neq; mirum videri debet res sensibiles virtutem habere qua agant in animam. Siquidem eam non ex se, verùm ex diuina dispositione sortiuntur. potest enim Deus quomodo vult & per quæcunq; instrumenta, sua mirabilia operari.

Cur res sensibiles agūt in animā.

Iam verò Euangelicorum Sacramenta quanti facienda erunt, quis non videat? quandoquidem nihil nobis conferūt, præter significationem. sic enim perit omnis eorum dignitas, cùm à Sacramētis antiquæ legis in hoc non differant, quæ præter significationē nihil habebant virtutis. Quædam verò in veteri lege etiam superabant Euangelicorum Sacramenta. Vt manna, panis Angelorum manibus factus, Agnus Paschalis, & alia sacrificia, q̃ in se nobiliora sunt, quàm frustum panis Caluiniani, aut aqua simplex, si hæc non habeant aliam virtutem præstantiorem. Perit & necessitas Sacramentorum. nam ad significandum duntaxat non est opus omnino Sacramentis, cùm tot aliis mediis significari gratia Dei promissa, & in mentem reuocari possit. Sola diuina scriptura lecta aut prædicata sufficit ad excitandam memoriam diuinarum promissionum. Neque propter hoc quod sine Sacramentis haberi perfectè potest, alligasset nos Christus ad Sacramenta. Nullo modo igitur constabit Sacramentorum necessitas, nisi præter significationem, virtutem etiam illis diuinam inesse credamus.

Sacramenta Euangelicorum quàm ignobilia.

Obiectio. Aiunt Euangelici, Sacerdotes quoq; Catholicos Sacramentorum dissipatores esse; quippe qui altera specie populũ priuent, contra Christi institutionem, mandatum, & exemplum. Verùm nõ potest ea nota inuri Catholicis sacerdotibus, qui non aliter dispensant Sacraměta, nisi prout Ecclèsia Catholica ab ipsis Apostolis & Spiritu sancto edocta, semper censuit esse dispensandum, secundum Christi mandatum, institutionem & exemplum. Vtebatur quidem Ecclesia, & etiam nunc vtitur vtraq; specie; sed nunquam existimauit eam ad salutem omnibus & singulis necessariam: cùm & totus Christus sit in vna sola specie, & vita æterna vnam speciem sumentibus æquè promittatur ac sumentibus vtramque. Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Solutio.

Nota doctrinam de vtraq; specie.

Quare sacerdotes Catholici, plus dant in vna specie, quàm Euangelici in vtraque. Nam illi in vna specie dant Christum totum, & cum Christo vitam ęternam: isti verò in vtraq; specie, neq; Christũ habent, neque vitam æternam, quæ sine Christi præsentia in Sacramento non datur.

Instituit quidem Christus vtramq; speciem, sed ea institutio potissimùm spectat sacrificium, q cùm repræsentare debeat Christi passionem & mortem, duplici velut parte constituitur, & vna quidẽ repræsentat corpus veluti mortuum, alia sanguinem Christi tanquam effusum. Quæ tam expressa repræsentatio mortis Christi in vna sola specie non habetur. At ad Sacramenti rationem vna species sufficit, cùm & totum Christum vna contineat, & totum effectũ Sacramenti conferat, nempe vitam æternam.

Neque

Neque verò vllum præceptum Christi proferri potest, quo ad vtramq; speciem sumendam astringamur. Nam illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, de sola specie panis dictum legitur absolutè, apud Matth. De altera verò specie, apud Paulum non legitur absolutè, *Hoc facite*. sed, *Hoc facite, quotiescũq; bibetis, in meam commemorationem*: ita vt non tam sit præceptum de bibendo sanguine absolutè, quàm de facienda Christi commemoratione, quotiescunque bibatur. Illud verò, *Bibite ex eo omnes*. primùm nullam præcepti vim continet sunt enim verba inuitantis & offerentis. sicut cùm quis simili forma verborum alicui offert potum ad bibendum: neq; enim illum obligat ad bibendum, neq; præceptum imponit; sed offert solùm & potestatem facit bibendi. Quo etiam modo cùm in cœna legali ãte institutionẽ Sacramẽti legitur Christus propinasse Apostolis poculum, similibus verbis: *Accipite & diuidite inter vos*; nemo dixerit hinc eos præcepto & sub peccato obligasse ad bibendum & diuidendum poculum inter se.

Præceptum Christi de vtraq; specie non est, & soluuntur loca scripturæ, quæ pro se hæretici habent.

Neq; verò mirum, quòd Christus Dominus, offerendo calicem, admonuerit Apostolos, vt biberent ex eo omnes, quod non fecit offerendo panem. Quia enim panem frangendo, partem cuiq; suam offerebat, non erat opus admonere, vt omnes manducarent. quilibet enim hoc ex actione Christi intelligebat. At cùm offerret vnum calicem pro omnibus, opus erat admonere, vt non vnus, sed omnes ex illo biberent, sicut & in cœna Agni paschalis dixerat poculum porrigendo: *Accipite & diuidite inter vos*.

Quod si præceptum fuisse censeatur illud, ad duodecim illas personas, quas tunc poculo suo Christus

dignabatur, pertinebat; eiq; præcepto abundè tum satis factum est. *biberunt enim ex eo omnes*, teste alio Euangelista. Vel si ad successores Apostolorum pertineat; illi non sunt omnes fideles, sed Sacerdotes. Vel si ad omnes fideles: ij bibere debent, quando illis à Christo vel Christi ministris fuerit oblatus, & exhibitus calix, sicut fuit tunc datus ac oblatus Apostolis. Offerente enim Christo, & iubente vt biberent; parere debebant Apostoli. Pari ergo ratione, offerentibus & præcipientibus ministris Christi, bibere debebunt omnes Christi fideles. Nullo verò præcepto obligauit Apostolos, vt omnino offerrent aliis calicem bibendum, sed id reliquit in eorum potestate.

Testamentũ Christi.

Iam quòd sanguinem in calice dixit Christus esse noui Testamenti sanguinem, inde non sequitur nos non futuros noui Testamenti participes, nisi calicẽ bibamus. Nam sanguis Christi eatenus ad Christi testamentum spectat, quatenus pro nobis effunditur, non quatenus à nobis bibitur. Ita enim expresè Christus addidit: *Hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effunditur*. In omnibus enim pactis & fœderibus sanguis fundebatur & firmabat pacta, id quod moris erat tam apud Iudæos, quam apud gentiles. Simili ergo ratione Christus suum pactum & fœdus sanguine suo fuso pro nobis, & oblato Deo in vltima cœna, confirmauit. Vt igitur simus participes Christi testamenti; non est necesse vt bibamus sanguinem, sed vt illum offeramus in Sacrificio suo.

Deinde si bibendus est propterea sanguis Christi; sufficienter bibitur in vna sola specie: cùm in ea totus Christus sumatur cum corpore & sanguine. Sumitur enim caro viua Christi, nõ exanguis, nec mor-

tua.

tua. Neque enim Christus post resurrectionem moritur amplius. Rom. 6.

Adde non minus confirmatum esse nouum Testamentum corpore Christi pro nobis oblato, quàm sanguine Christi pro nobis fuso. Verum enim est quod Paulus ait: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Quare æquè efficimur participes noui Testamenti sumendo corpus, sicut sumendo sanguinem. Ius etiam quod nobis testamento quasi inscripsit ad vitam æternam, habetur totum in vna specie. qui enim sumit vnam speciem, habet vitam æternam, & ille qui sumit vtramque. Hebr. 10. v. 10.

At de hac re pro instituti ratione satis. Hæc enim dici debuerunt, vt appareret iniuria nos affici magna ab aduersariis, cùm nos contra mandatum alteram speciem Laicis abstulisse calumniantur, quod quàm sit à veritate alienum, vel ex his paucis, quæ allata sunt, patere potest.

SEPTIMA DEMONSTRATIO.

Ministri veri sunt Ecclesiæ Catholicæ ministri.
Ministri Euangelici non sunt Ecclesiæ Catholicæ ministri:
Ergo non sunt veri ministri.

CAPVT XI.

Ministri Euangelici non sunt ministri Ecclesiæ Christi, sed Ecclesiæ malignantium.

MInistri Christi, sunt quoque Ecclesiæ ministri. Ministri sponsi debent esse etiã ministri sponsæ; maximè cùm Christus ministris non pro se egeat, sed pro sua sponsa, nempe Ecclesia.

 Quan-

Ministri Christi sunt Ecclesiæ ministri.

Quantam autem autoritatem voluerit esse Ecclesiæ, vel ex eo patet, quod ait: *Qui Ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus & publicanus.* Ad eumq́; finem dedit ei omnem suam potestatem, & regni cœlorum claues, vt quicquid illa solueret & ligaret in terris, solutum esset & ligatum in cœlis, ita vt iure D. Aug. dixerit Ecclesiam tenere, & possidere omnem sui sponsi & Domini potestatē. 4. de Bap. contra Donat. cap. 1. Ad eundē finē dedit ei *Spiritū veritatis, vt maneat in ea in æternum, & doceat illam omnem veritatem.* Suam etiā præsentiā perpetuam promisit, ad omnē protectionem & directionē. *Ego* inquit, *vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi.* Voluit enim Ecclesiam, non solùm esse sponsam suam, sed & corpus suum; vt ipse tanquam caput ipsius omnem ei influxum necessarium tribueret.

Ministri omnem potestatem ab Ecclesia debent accipere.

Necesse est igitur ministros omnem suam potestatem ab Ecclesia accipere, cùm penes eam omnis potestas ad vitam æternam consequendam necessaria à Christo relicta sit, tam ad Sacramenta conficienda & ministranda, quàm ad prædicandum Dei verbū, & docendam oēm veritatem; securosq́; nos voluit esse Dominus, si ab Ecclesia pendeamus, longissimè nos ab omni erroris periculo absfuturos. *Portæ enim inferi non præualebunt aduersus eam,* vt pote quæ sit *columna & firmamentum veritatis.* Neq; enim vnquam sponsam suam deseret Christus, neque desinet esse corporis sui caput. Hinc illa apud sanctos Patres frequentia. *Extra Ecclesiam non esse salutem. Sacramenta extra Ecclesiam quandoq; dari posse, at prodesse non posse. Non habere Deum in cœlis patrem, qui Ecclesiam non habeat in terris matrem.* Hæc & similia cùm dicunt sancti Patres,

tres, ostendunt nullum esse legitimum Christi ministrum, qui non sit Ecclesiæ Christi minister, ab ipsa dependens, eiq; inseruiens.

Porrò minister Ecclesiæ esse non potest, qui non est eius membrum. Quare qui se ab Ecclesiæ corpore separant, & Ecclesiam nō agnoscunt, ministri Ecclesiæ esse non possunt. Tales sunt Ministri Euangelici, qui eam Ecclesiam, quæ ab Apostolis ad hæc vsque tempora, semper habita est Ecclesia Christi, & præter quam nulla alia erat Ecclesia, neque agnoscunt, neq; ad eam pertinere volunt. Malunt ad Ecclesiam à Luthero & Caluino demonstratam, prioribus sæculis Christianitati inuisam & inauditam pertinere. Sacerdotes verò Catholici, sunt eius Ecclesiæ ministri, quæ omnibus sæculis habita est in tota Christianitate Ecclesia Christi; ad quam pertinuerunt quotquot fuerunt Episcopi, Martyres, Thaumaturgi, & omnes sancti Dei homines. Neque verò eam tantummodo pro vera Ecclesia agnoscūt, sed ab eius potestate & iudicio toti dependent, vt nihil nisi eius potestate faciant, omniaq; eiusdē iudicio moderent.

Minister Ecclesiæ nō est si non sit membrum eius.

Sacerdotes Catholici sunt veri Ecclesiæ ministri.

Respondent Euangelici, suos quoq; Ministros esse ministros Ecclesiæ. sed inuisibilis cuiusdam & soli Deo notæ, quæq; ex solis electis constet, eiq; omnia priuilegia Ecclesiæ promissa seruire volunt. At facile est hæc figmenta refellere. Figmentum est Ecclesia inuisibilis. Ecclesia enim Dei est illa, qaum Spiritus sanctus tradidit regendam Episcopis. *Attendite*, inquit Paulus, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Sanè Ecclesia, de qua Paulus loquitur, est Ecclesia Dei, & acquisita sanguine Christi, ac proinde

Responsio hæreticorū de Ecclesia inuisibili.

Refellitur.

Ecclesia nō est inuisibilis.

vera Ecclesia. Qualis verò est illa Ecclesia? num inuisibilis? num ex electis? At Paulus determinatum cœtum ostendebat, in quo proculdubio mixti erant electi cum non electis, cumq; dixit traditum Episcopis ad regendum. Quî verò fieri potest, vt Episcopi oues inuisibiles regant? Quomodo pascere possunt verbo & Sacramentis, quas non norunt? Quomodo vicissim oues regi à suis pastoribus possunt, quos non nouerunt? Ipsum verò regimen, an non visibile esse voluit Christus; per visibilem verbi & Sacramentorum administrationem? Quare, si electi tantum ad Ecclesiam pertinerent, non posset Ecclesia regi ab Episcopis. non posset enim constare, qui sint electi, qui non; cùm solius Dei sit nosse, qui sunt eius, aut simul & eos regi oporteret, qui non sunt de Ecclesia, quiq; non sunt commissi à Christo ad regendum.

Non est igitur vlla Ecclesia electorum distincta ab Ecclesia communi, in qua sine discrimine sunt boni & mali, electi & non electi. Neq; enim alios voluit esse Spiritus sanctus Episcopos, vt regant electos, alios vt regant non electos; sed omnibus voluit esse vnum & idem regimen, communia Sacramenta, communem verbi prædicationem. Quare illa electorū Ecclesia inuisibilis, ad vnam communem Eccesiam pertinet, quæ visibilis est, & visibili ratione à suis pastoribus administratur, sub eorumque obedientia degit. Si ergo Ministri Euangelici ad Ecclesiam visibilem non pertinent, eo ipso ad Ecclesiam Christi non pertinent.

Nota Ecclesiæ Catholicæ. Deinde satis manifestas notas Ecclesiæ Christi ostendit nobis scriptura sancta, vt cœcus plane sit, qui ex illis Ecclesiam Christi non agnoscat. Inter alias est illa insignis, quam tantopere vrget D. August. contra

Hæ-

Hæreticos sui temporis, & plurimis scripturarum testimoniis confirmat, nempe quòd sit Catholica seu per totum mundum diffusa. Ita enim Dominus ipse prædixit futurum: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Ita promissum est multò ante Abrahamo: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et paulò ante: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* quam multiplicationem præuidens Isaias: *Repleta est*, inquit, *terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Hæc est illa hæreditas amplissima promissa Christo, & data in compēsationem passionis & mortis ipsius. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt ante ipsum vniuersæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Ex his aliisq; plurimis colligit D. August. Ecclesiam Christi non in aliquo terræ angulo; sed in toto orbe extare debere, datumq; id esse meritis Christi, vt hæreditas eius esset omnes gentes, & regnum in toto mundo. Quare illam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, quæ sit fueritq; in omnibus gentibus, & in toto mundo; illam verò minimè in quam id non conuenit.

Matth. 24. v. 14.
Ecclesia Christi in toto mūdo.
Isa. 11. v. 8.
Psal. 2. v. 8.
Psal. 21. v. 28.

At Morneus ait: Initio fuisse Ecclesiā pusillum gregem, in fine etiā mundi, *putas filius hominis inueniet fidē in terram?* medio verò tempore, & gentiles multitudine superant Christianos, & Ariani aliquando superarūt Orthodoxos, & nunc Asiatici Christiani & Africani reliquos facile superant, quare aut penes Asiaticos & Africanos erit vera Ecclesia, aut inane est argumentū quod ex multitudine sequitur.

Obiectio Mornei.

Mor-

Soluitur.

Morneo sic respondemus. De Ecclesia per totũ mundum diffusa, non esse nostram assertionem, sed diuinarum scripturarum. quare si id non est verum; non noster sed scripturarũ error erit. Quæ verò Morneus adducit, nullius planè sunt momenti; non est enim mirum Ecclesiam initio fuisse exiguam, Euangelio nondum publicato in toto mundo. At postquã in omnem terram, & in fines orbis terrę exiuit sonus Apostolorum, cœpit esse *ab ortu solis vsque ad occasum laudabile nomen Domini*, semperq; postea eam amplitudinem retinuit in toto mundo Ecclesia; non quòd semper numero superaret reliquos homines, sed quod per totum mundum & in omnibus gentibus haberet suos Orthodoxos, qui Christi fidem & corde crederent ad iustitiam, & ore confiterentur ad salutem: & quamuis ortis hæresibus, non parum de hac amplitudine detraheretur, semper tamen eam prostratis hæresibus recuperabat. Quare etsi hæresis Ariana magnam orbis Christiani partem occuparet: tamen neque ita, vt nulli essent inter illos Orthodoxi (erant enim & Confessores & Martyres plurimi) neque multo tempore; si quidem extincta hæresi (quæ cùm non sit ex Deo, diu permanere non potest) redibat Ecclesia ad nitorem pristinum. Sicut enim amplitudini regni nihil decedit, si hostes repentino assultu aliquas regni partes inuadant, & mox de medio diffugiant: sic & hæreses quoties Ecclesiam inuadunt, siue sua inanitate, siue diuina virtute, mox concidunt. Iam quod ad Asianos Christianos attinet, ij & multi sunt, tamen non paucos habent inter se Orthodoxos, quod satis est vt Ecclesia dicatur Catholica. illæ vero suos extra suas prouincias nec habuerunt, nec habent.

Ecclesia initio pusillus grex.

Neq;

Neque enim ad hoc vt Ecclesia dicatur Catholica requiritur, vt omnes in toto mundo homines recipiant fidem; sed satis est, vt fides Catholica in toto mundo prædicetur & recipiatur ab iis, quorum corda tetigerit Deus. Facit autem diuina bonitas, vt omnes prouinciæ Religionis Catholicæ successiuè fiant participes, & suo tempore depositis erroribus fidem Catholicam amplectantur, vt nulla sit prouincia, nullus locus in quo aliquando non floreat Catholica fides. *Quid requiritur vt Ecclesia dicatur Catholica.*

Iam verò in fine mundi Antichristo veniente, futurum quidem est, vt Ecclesia cogatur & restringatur magis; sed idipsum propterea diuinitus prædictũ est, vt non nesciremus. Reliquo verò tempore ante aduentum Antichristi Ecclesia non cogi, sed per totum mundum dilatari secundũ diuinas prædictiones debet. Quare meritò Ministros Euangelicos negamus esse Ecclesiæ veræ ministros, cùm nõ sint eius Ecclesiæ ministri, quæ fuit semper, est, eritq; Catholica, cuius nomen est in gentibus, & laus eius vsque ad fines terræ. Quod vt in Romanam Ecclesiam verè conuenit: ita Euangelicam Ecclesiam certum est nullo vnquam tempore fuisse Catholicam.

Verum sit aduersarij eo signo Catholicæ Ecclesiæ (quod solum sufficit, quodq; in symbolo Apostolorum confitemur) non contenti, alia signa quærãt; signum non dabitur eis nisi Christi Domini, qui prouidens has istorum tenebras, digito quasi demonstrauit Ecclesiam suam, vbi esset, & vbi eam à nobis quæri vellet, nempe vbi eam ipse ædificauit, in illa nimirum petra, cui dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt* *Altera nota Ecclesiæ Catholicæ.*

lebunt aduersus eam. Quid pluribus opus? vera Ecclesia non est nisi in Petro ædificata, aduersus eam portæ inferi hactenus præualere non potuerunt, vt Christi prædictio in hac solùm Ecclesia impleatur, & hoc ipsum sit manifestum indicium, Ecclesiam in Petro ædificatam esse veram.

Obiectio soluitur.

Petrus & petra terminatione differunt non significatione.

Quid Euangelici? negant Petrum dictum esse petram, super quam ædificata sit Ecclesia, propter Petri à petra distinctioné. At immeritò sanè. Petrus enim & petra, non significatione sed terminatione differunt. Petra enim communi dialecto, Petrus, Attica dicitur. quod & Caluinus & Beza tractantes hunc locum, confitentur. In Syriaco sanè (qua lingua Dominus locut° est) & in Hebraico (quo idiomate D. Matthæus cōscripsit Euangeliū) nulla differentia Petri & petræ, vtriq; enim respōdet eadem vox Cepha. quare turpissimè errant, qui Petrum quasi Petreum denominatiuè à petra dictum interpretantur: eadem enim vox Cepha, Petro & petræ respondet, & nunquā Petreum, sed semper petram significat.

Deinde cùm diceret Dominus Petro: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, excellentiā Petri singularem explicare voluit, non aliam sanè, nisi quia in eo tanquā in petra esset ædificaturus Ecclesiam suam. D. Leoné diuinè exponenté audiamus. ita enim habet sermone tertio in Anniuersario assumptionis suæ: *Et ego*, inquit, *dico tibi; hoc est, sicut meus pater tibi manifestauit diuinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum, ego fundamētum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate*

sunt

ſunt propria, ſint tibi mecum per participationẽ communia. haɛtenus D. Leo. Et ſanè illa particula, *Et ego dico tibi*, indicat; quòd ſicut Petrus Chriſtum cõfeſſus eſt eſſe Filium Dei; ita Chriſtus viciſſim confitetur Petrum eſſe petrã, ſuper quã ædificaturus eſſet Eccleſiã ſuam: vultq; diſertè Dominus confeſſionẽ Petri ſua quoq; confeſſione compenſare. Ac ſi diceret: Tu dicis me Filiũ Dei. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Neq; enim ſolùm cõmemorare volebat Petro ſuũ nomen, quod & ipſe bene nouerat & alij; ſed myſteriũ & excellentiam ſingularẽ, quæ in ipſius nomine latebat, edocere voluit. Neq; enim temerè illi Petri nomen indidit Ioan. 1. ℣. 42. *Tu vocaberis Cephas*; ſed propter myſterium quod tali nomine continebatur, quòd nimirum ſupra illum ſicut ſupra petram ędificaturus eſſet Eccleſiam ſuam. Aliâs ſi communi ratione cum aliis Apoſtolis Petrus futurꝰ erat Petra, cur ſoli Petro hoc nomen impoſuit? cur alios quoq; Apoſtolos Petras non vocauit? Petrus iam habebat ante ſuum nomẽ proprium Simon, ex patre etiam vocabatur Bariona, ex patria à Betſaida; quorſum igitur nouũ nomen, niſi aliquam nouam excellentiam ſignificaret; quod ſuper eum veluti petram ædificanda eſſet Eccleſia? Deniq; idem apparet ex ſequentibus; *Et tibi dabo claues regni cælorũ.* idem enim eſt ſuper Petrũ fundare Eccleſiam, & tradere ei claues regni cœlorum. Vtrumq; enim officiũ ac poteſtatem Petri in gubernanda Eccleſia deſignat. At non dubium eſt, Petro dictũ eſſe, *tibi dabo claues regni cælorũ*; neq; igitẽ dubium eſſe debebit, ſuper Petrum ædificatã eſſe Eccleſiam.

Verentur ſcilicet Euangelici, ne ſi Petrus petra dicatur, Chriſto qui petra in ſcriptura dicitur, fiat ali- *Occurritur obiectioni primæ.*

quod præiudicium. Eſſet ſanè verendũ, ſi Petrus eo modo, quo Chriſtus, petra diceretur. At dicitur longè alio & inferiori modo. Chriſtus enim petra per ſe ſoliditatẽ ex ſe habens, Petrus verò ex Chriſto. Quod non ſolùm in præiudicium Chriſti non cedit, ſed in ſummam eius gloriam, qui cùm ſit ipſe ſolidiſſima petra, ſuam quoq; virtutem hominibus communicat, & petras homines facit. Sicut cùm ipſe ſit lux mundi, Apoſtolis quoq; ait: *Vos eſtis lux mundi.* Certè cùm famulus poteſtate Domini aliquid facit, nihil Domino præiudicat. Dominus enim propria poteſtate facit, famulus facit idem poteſtate Domini. Anné claues regni cœlorum Chriſtus non habet? Sicut igitur ſine vllo ſuo præiudicio contulit eas Petro: ita ſine ſuo præiudicio Petrum petram ſeu fundamentum Eccleſiæ conſtituit.

Petrus petra ſine vllo Chriſti præiudicio.

Occurritur alteri.

Neq; verò poſſunt hoc loco nomine petræ intelligere Chriſtum. Nam cùm dicitur *ſuper hanc petram*, non quæcunq; petra, ſed illa paulò antè nominata intelligitur. Pronomen enim Relatiuũ *hæc* vel *iſta*, prænominatam petram oſtendit, non aliam. verbum etiam in fine ſententiæ poſitum, & deinde repetitum in principio ſequentis ſententiæ, eandem ſignificationem habet, vt innumeris exemplis oſtẽdi poteſt. Deinde non compenſatur confeſſio Petri, ſi Chriſtus ſupra ſe ædificat Eccleſiam ſuam. Cùm igitur vicem reddere Petro voluerit Chriſtus, non ſe, ſed Petrum dixit petram; neque ſupra ſe, ſed ſupra Petrum dixit ſe ædificaturum Eccleſiam. Si dixiſſet Dominus: Ego ſum petra, & ſuper hanc petram ædificabo, facilè intelligeremus de ſeipſo locutum. At cùm dixit: Tu es petra, non poſſumus niſi de alio intelligere Chriſti verba.

verba. Deinde loquitur de ea petra in qua nondũ ædificauerat, sed dificaturus erat. At in seipso iam ædificauerat Apostolos & alios fideles, in Petro aũt non, sed ædificaturus erat. Deniq; sicut alias excellẽtias de clauibus, de potestate ligãdi, ad Petrum retulit; ita & hãc de ædificanda Ecclesia supra petrã: tùm quia eædem sunt istę excellentiæ, tum quia eodem fine & intentione sunt commemoratæ.

Quorundã explicationes huius loci irridẽtur.

Quare neq; illa explicatio quorundam admitti debet, super hanc petram, quam confessus es. Neq; enim Christus, Tu es confessus petram; sed, Tu es petra, & super hanc petram, quæ es tu, ædificabo. Ineptè & alij petram fidem interpretantur, neq; enim Petrum fidem vocauit Dominus, sed petram, & nihil singulare tribuisset Petro, quod supra fidem communem omnium fidelium ædificaturus esset Ecclesiam. Et si Petrus propter fidem esset fundamentum Ecclesiæ; omnes fideles propter eãdem fidem essent fundamentum. quod si omnes fideles fundamentũ, vbi erit reliquum ædificium? si omnes vnum membrum, vbi corpus? Quanquam non negandum est Petrum esse suo modo petram fidei, quia fides Petri nunquam deficit, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Aliorũ fides defecit in successoribus, Petri fides nunquam ad finem vsq; mundi in suis successoribus deficiet.

Obiectioni satisfit.

Aiunt, hoc aliis quoq; Apostolis conuenire. Minimè vero. solus enim Petrus dictus est petra, illi soli tũc reuelauerat Pater cœlestis, quẽ confiteri deberet Christum, illi soli in pręmiũ confessionis hæc pręrogatiua conceditur. Neq; verum est nomine aliorum respondisse, cùm nõ ex commissione aliorum, sed ex

reuelatione Patris cœlestis sibi tūc facta responderit: Christo ipso attestāte, quòd caro & sanguis illi nō reuelauerit, sed Pater cœlestis. Quamobrē & cōfessionem illam tanquam solius Petri, non tanquam communem omnium Christus approbauit. neq; enim dixit, Beati estis, quia non caro & sanguis reuelauit vobis; sed, Beatus es Simon Bariona. Promissio etiam ædificandæ Ecclesiæ fundatur in nomine proprio Petri, quod illi cum aliis Apostolis nō fuit commune. Et quamuis suo modo in omnibus Apostolis fundata est Ecclesia, cuius illi fuerunt duodecim fundamenta, tamen in solo Petro fundata est vniuersa Ecclesia, tota nimirum illa, quam Christus se ædificaturum promittebat; in aliis verò particulares Ecclesiæ, quas sua prædicatione Christo adiunxerunt, fundatæ sunt. Petrus totam Ecclesiā vt pastor ordinarius in suis successoribus regit & gubernat, quod alij Apostoli nō habuerunt, qui solùm fuerūt legati à Christo missi, legationis aūt officium non est ordinariū, nec transit ad successores, sed vnâ cum morte exspirat.

Apoc. 21. v. 14.

In solo Petro vniuersa Ecclesia fundatur.

Neq; verò Petrus futurus erat petra, seu fundamētum Ecclesię ad tempus suę vitæ; sed perpetuum vsq; ad finem mundi, quamdiu nempe Ecclesia à Christo ædificata, debuit subsistere. neque enim sine fundamento ædificium consistere debet. Quare cùm Dominus voluerit Ecclesiæ ædificium esse perpetuum permanens in sæculum sæculi, etiam fundamentum quod huic ædificio supposuit, voluit esse simili ratione perpetuum. Petrus igitur non tam ratione suæ personæ, quàm ratione sui officij, quod etiam in suis successoribus perseuerat, est Ecclesiæ fundamentum perpetuum. Alioqui mortuo Petro defecisset Ecclesia.

Petrus est perpetuum fundamentum.

sia Christi, & portæ inferi præualuissent aduersus eam. Simili etiam ratione claues regni cœlorum à Christo accepit, non pro se duntaxat, sed vt eas successoribus suis communicaret. quæ enim in vtilitatem Ecclesiæ data sunt Petro, data censentur etiam pro successoribus.

At hæc & alia plurima sumus persecuti in libello nostro de capite Ecclesiæ, quò remitti Lectorem volumus Hoc solùm dico; Quidquid faciant aduersarij, euadere vim verborum Christi non possunt, quin illa sola sit vera Christi Ecclesia, quam Dominus ædificauit supra petram. Ad quam quia Ministri Euangelici non pertinent, consequens est, vt non sint veri Ecclesiæ ministri, sed Ecclesię malignantiũ, quæ non à Christo, sed ab ipso dæmone est ædificata, supra tot fundamenta, quot sunt capita Ministrorum. Nam neq; Ministri in terra, præter suum caput agnoscunt aliud caput, cuius iudicium sequantur, nisi quantum sibi visum fuerit, & cùm liberum sit singulis eorum de scripturæ sensu iudicare, tot erunt discrepantia fundamenta Ecclesiæ, quot capita Ministrorum. iusto sanè Dei iudicio, vt qui vnum caput à Christo institutum respuunt, innumera capita à seipsis constituta admittere cogantur, quod innumeræ sectæ, in quas dissecti sunt, manifestum faciunt.

Conclusio.

Innumera capita Ecclesia Euangelicorum.

Octava Demonstratio.

Ministri legitimi sunt veri verbi Dei Ministri.
Ministri Euangelici non sunt veri verbi Dei ministri:
Non sunt igitur legitimi ministri.

CAPVT XII.

Ministri Euangelici, non sunt veri verbi Dei ministri.

Ministri Euangelici reiiciunt verbum Dei non scriptũ.

NOn faciamus iniuriam Euangelicis, cùm eos legitimos verbi Dei ministros esse negamus; siquidem verbum Dei partim reiiciunt, partim detruncant, partim prauis interpretationib. ex proprio iudicio acceptis, corrumpunt. Reiiciunt totum verbum Dei non scriptũ, nullamq; eius esse habendã rationem volunt. quasi verbũ Dei nisi scribatur, non sit verbũ Dei; aut à scriptura & membranis, nõ à Deo suam autoritaté habeat. Vixit Ecclesia Dei per verbũ Dei, antequã scriptum esset (hoc enim postea factum est diuersis téporibus & occasionibus.) Christus mittens Apostolos, non præcepit vt scriberent, sed vt docerent omnia, quæ illis mandauerat. Hoc ipsum scriptum, quod habemus ex traditione profectum est. Neq; enim scripturas sacras esse veras scripturas & verbũ Dei scimus, nisi ex traditione Ecclesiæ. Tritum est illud Augustini: *Euangelio non crederẽ, nisi me Ecclesia Catholica autoritas commoueret*. Nisi enim Ecclesia testimoniũ perhiberet, hoc quod habemus, esse verum Christi Euangelium; non possit quispiã Euangelio credere. cogitare .n. posset, ne fortè supposititiũ esset vt pleraq; alia. Quod sit scriptũ Dei verbũ traditione accepimus, cur eadem traditione non accipiamus non scriptũ? cùm vtrumq; æquè sit verbũ Dei, & eadem Ecclesia vtriq; testimoniũ faciat; quæ si in vno non habet autoritaté, non habeat quoq; in alio. Traditiones hominum damnat scriptura. Illas nimirum, quæ non sunt verbum Dei; sed cum eo pugnant, & ab

Obiectioni occurritur. Traditiões Apostolicæ.

& ab hominibus excogitatæ ſunt, non à Deo profectæ. At traditiones à Chriſto & Apoſtolis profectas, non ſolùm non damnat, ſed præcipit. *Tenete*, inquit Paulus, *traditiones, quas didiciſtis, ſeu per ſermonem, ſeu per Epiſtolam*. *2. Tim. 2. ℣. 16.*

Sufficit, inquiunt, verbum Dei ſcriptũ ad ſalutem. At vnde hoc? Nam ſcriptura nihil tale affirmat. Affirmat D. Ioãnes de ſuo Euãgelio. *Hæc ſcripta ſunt vt credatis, & credentes vitã habeatis*. Non quòd ſolùm ſuum Euangelium putauerit omnia neceſſaria ad ſalutem continere; ſed quòd ea quæ ipſe ſcripſit de Chriſto, magnam vim habeant ad ſalutem nobis conferendã, ſi credantur, non excluſis tamen alijs. Nam vt alia omittam, de vltima cœna nil ſcripſit D. Ioannes: neq; tamen dicunt Euangelici, articulũ de cœna Domini, non eſſe neceſſarium ad ſalutem. Paulus ait, *omnem ſcripturam diuinitus inſpiratam vtilem eſſe ad docendum; vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Non quod in quauis ſcriptura cõtineãtur omnia ad ſalutem neceſſaria, (alias vetus teſtamentum ſine nouo, & Epiſtola ad Philemonem contineret omnia nobis neceſſaria ad ſalutem) ſolum igitur voluit Paulus dicere, omnem ſcripturã ex ſua parte promouere perfectionem hominis ſpiritualem, nõ excluſis alijs, quæ etiam ad eandem perfectionem faciunt. Sine vllo igitur fundamento dicunt Euangelici, nihil ad ſalutem eſſe neceſſarium, quod in verbo Dei ſcripto non contineatur, cùm nec omnia ſcripta ſint, neque illa quæ per 40 dies à reſurrectione ſua Chriſtus egit, cũ Apoſtolis loquens de regno Dei, neque quæ Spiritus ſanctus docuit Apoſtolos, ad hoc de cœlo miſſus, vt doceret Apoſtolos omnem veritatem, neque quæ *Reſponſio ſoluitur* *2. Tim. 3. ℣. 16.* *Multa non extant in ſcripturis.*

Apoſtoli, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam tradiderunt fidelibus, 2. Theſſ. 2. cùm multò plures Epiſtolas ſcripſerint, quàm modo extent: multo verò plura docuerint, quàm ſcripſerint; ea verò quæ ſcripſerunt ex varijs oblatis occaſionibus, neceſſitatum ſuarum Eccleſiaſticarum, quas gubernabant, ſcripſerunt; ad eum finem, vt præſentibus tunc neceſſitatibus ſatisfacerent, non vt omnia complecterentur, quæ ad ſalutem eſſent neceſſaria. Talia ſunt de paruulorum Baptiſmo, de Sacramentorum numero, ritu, vſu, & alia quæ ad myſteria fidei noſtræ ſine errore intelligenda pertinent.

Miniſtri Euangelici detruncant verbũ Dei. Non ſolùm magnam verbi Dei partem reijciunt, ſed & id quod admittunt, nõ integrum, ſed mutilum & detruncatum admittunt. Dico Dei verbum ſcriptum, quod non totum, nec cum omnibus ſuis partibus, vti ab Eccleſia Catholica ſemper receptum fuit, recipiunt; reijcientes multos, veteris Teſtamenti libros, pleroſque & noui. legatur Bellarminus noſter, patebunt omnia.

Satisfit obiectioni. Aiunt, dubitatum eſſe de pleriſque. Aio dubitatũ eſſe de omnibus; nam & totum Teſtamentum nouũ, aliqui reuocabant in dubium, alij Euangelia eorumuè nonnullas partes, alij Apocalypſim D. Ioan. alij Epiſtolam Pauli ad Hebræos. Annè igitur hæc omnia reijcienda? Minimè verò. Eccleſia enim Catholica, cuſtos & teſtis omnium ſacrorum librorum, declarauit omnes eſſe verè diuinos libros. In quo ſi credunt Euangelici Eccleſiæ Catholicæ, (nulli autẽ alteri credere poſſunt, quũ præter eam nullus fidem huic rei fecerit) cur non credant pari ratione de alijs quoque quos reijciunt libris, decernenti? nam ſi in

hoc

hoc fides Ecclesiæ vacillat, quomodo in alijs quoque non vacillabit?

At quod maximè condemnat aduersarios, est diuinarum scripturarum interpretatio, id clarè pronunciat D. Petrus: *Omnis scriptura propria interpretatiōe nō fit, sed Spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei hōines.* quibus verbis asserit Spiritum sanctum, quemadmodum est conditor scripturarum, ita & interpretem esse, neminemque posse priuato iudicio scripturas interpretari. Hanc D. Petri legem non obseruant Euangelici, quia nullius iudiciū in scripturis sequuntur, sed proprio duntaxat iudicio ducuntur, eumque existimant verū scripturæ sensum, qui ipsis facta locorum collatione videtur. Quasi verò Spiritus sanctus cuiuis loca cum locis conferenti assistat, & sensum aperiat. Id si ita est, qui igitur fit, vt cum Arriani æquè ac Caluinistæ, scripturas cum scripturis conferant, cōtrarias doctrinas ex scripturis eliciant? sed & ipsi Euāgelici, vno tempore, facta scripturarum collatione hoc affirmant, quod alio tempore facta alia scripturarum collatione negant. Omnes denique Hæretici, scripturas cum scripturis conferunt, & tamē singuli suas hæreses ex scripturis deducūt: ita vt verè scriptū reliquisse Lutherus videatur, scripturā esse Hæreticorum librum. Ex eo enim omnes suas hęreses hauserunt, cùm nullus ferè sit, qui suum errorē, aliquo scripturæ loco non confirmet. Si dicant Euangelici, Arrianos non rectè scripturas conferre; dicent idem Arriani de Euangelicis, parique studio veritatis, se ac illos in scripturis inuestigare veritatem. Cùm porrò Lutherani deficiunt ad Caluinistas, vel hi ad illos, nonne vtrique Collationem scripturarum faciunt,

Ministri Euangelici proprijs interpretationibus corrumpunt Verbū Dei.

Conferre scripturas cum scripturis non est cuiusuis

Scriptura liber hæreticorum.

unt, & priorem collationem, quam ante probabant, postea improbant, & quem Spiritus sancti sensum opinabantur, postea reijciunt, & contemnunt? Summa rei est, si quæcunque collatio locorum scripturæ, à quocunque facta sufficit, ad veram interpretationē scripturæ, cùm omnes Hæretici loca cum locis conferant, sequitur omnes Hæreticos verè interpretari scripturas, aut illa regula interpretandi scripturas, nō erit vsquequaque certa & indubitata.

Scriptura non est iudex controuersiarum. Falsum est igitur illud commune Euangelicorum pronunciatum, scripturam esse iudicem omnium controuersiarum, esseque ex se clarissimam, & omnes dubitationes tollere. Si enim hoc ita est, cur apud Arrianos pro Arrianis iudicat, apud Caluinistas pro Caluinistis, apud Lutheranos pro Lutheranis? Omnes enim hi se scripturę iudicio subijciunt, & scripturæ iudicium pro se afferunt. Si scriptura facilima & clarissima est, vnde igitur in tanta luce, tenebrę tantę? vnde innumeræ circa scripturarum intelligentiam contentiones? vnde tam variæ interpretationes? vnde tot errores?

Verbum Dei quomodo dicitur lumen. Lumen quidem & lux dicitur verbum Dei, non quod per se in oculos incurrat, & ab omnibus intelligatur; sed postquam cognitum est & intellectum, instar luminis est hominem dirigentis in omnibus vijs suis. *Lucerna*, inquit Dauid, *pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Porrò non intelligentibus, verbum Dei, tenebræ sunt, sicut cœcis lumen tenebræ sunt; intelligentibus verò lux ad omnes vias, quibus ad salutem tenditur. Intelligi verò non poterit, nisi Spiritu sancto exponente, illuminante, & aperiente sensum ad intelligendum. Ideo enim Dauid petebat:

Da

Da mihi intellectum. Et Eunuchus, etiamsi summa attentione legeret Isaiæ locũ, dicenti Philippo: *Putasne intelligis quæ legis?* Respondit. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* *Act. 8. v. 30.*

Illud verò quàm absurdum est, & ab omni ratione alienum, mutum iudicem constituere, qui nihil loquens sententiam ferat, qui partibus tribuat potestatem ad libitũ loquendi, interpretandi, decernendi. Si talis iudex in Repub. aliqua constitueretur, nonne omnium litium & controuersiarum seminarium esset? Lites nullo vnquam tempore finirentur, & tot essent iudices, quot capita. Quod si pessimè Reipub. consultum esset per tale iudicium; quomodo non existimabimus pessimè actum cum Ecclesia, sola scriptura constituta pro iudice?

Aiunt, vos ergo hominem pro iudice statuere vultis? Minimè verò. sed falsarum interpretationum hominem iudicem statuimus, qui autoritate à Deo accepta, scripturæ sensum à Spiritu sancto intentum, agnoscat & reuereatur, eique se submittat & seruiat. Falsas verò interpretationes condemnet ac reijciat. An verò cùm Euangelici scripturas interpretantur, faciunt se scripturarum iudices? negabunt profectò. Pari ratione negamus Petrum, & successores eius, qui Dei nomine nobis scripturas interpretantur, esse iudices scripturarũ. Si scripturas vel improbarent, vel erroris arguerent, vel immutarent; essent proculdubio scripturarum iudices, ipsa scriptura superiores. At cùm scripturas reuerentur, & adorant, & earum omnino autoritatem agnoscunt, quomodo iudices scripturarum dici poterunt? *Instantia respondetur.*

Quod si quæratur à nobis, cuiusnã erit decernere de *Cuius est de vero sen-*

su decernere. de vero sensu scripturæ? Respondendum, non cuiusuis; sed eorum duntaxat, supra quos ædificata est Ecclesia, quique claues regni cælorum tenent. Probabiliter quidem de sensu scripturæ conijcere & alij possunt; at certè statuere, & vltimam sententiam ferre non possunt. aliàs frustra Doctores in Ecclesia Christus constituisset, si cuiusuis esset de scripturis statuere. Petrus & eius successores, sunt fundamenta Ecclesiæ à Christo constituta, cum omni ea potestate, quæ ad sustinendum officium vniuersæ Ecclesiæ necessaria est, atque adeò cum potestate discernendi, veram & falsam interpretationem scripturæ, & ad eundem finem claues regni cœlorũ acceperunt. Vt enim errores in fide, regni cœlorum ianuam claudunt; ita potestas errorem à vero discernendi, cœlũ aperit, eaque potestas inter cæteras ad regnum cœlorum aperiendum necessaria, nomine clauium intelligitur.

Spiritus veritatis præcipuè est in capite Ecclesiæ. Recurrẽdũ igitur est ad eos, qui vniuersæ Ecclesiæ à Deo præfecti sunt, cum omni potestate, ad eam gubernandam, & regnum cœlorum nobis aperiendum necessaria, & ex eorum iudicio, de vero sensu scripturæ cognoscendum. Eorum enim sensus non humanus, sed diuinus est; tum quòd diuinitus sunt tali potestate & dignitate ornati, tum quia Spiritus veritatis, promissus toti Ecclesiæ, præcipuè ad caput Ecclesiæ spectat. Vt enim corpus sine capite nihil iudicat; ita neque Ecclesia sine capite suo visibili Romano Pontifice. Quare nulla concilia; quantumuis numerosa, vllam in Ecclesia autoritatem habuerunt, nisi suo capiti coniuncta, & ab ipso capite approbata.

Hoc si semel intelligere vellent Euangelici, inuenirent

nirent regulam certam & indubitatam ſcripturas interpretandi, intelligerent etiam ſuos Miniſtros, nullam afferre certitudinem & ſecuritatem, cùm ſcripturas interpretantur. Semper enim dubitari poteſt à quouis, num rectè loca cum locis cõtulerint, maximè cùm id officium à Deo ſibi commiſſum probare non poſſint. Sacerdotes verò Catholicos, legitimos eſſe Chriſti Dei miniſtros; cùm illi non ſuo ſenſu & iudicio interpretentur; ſed ſenſu & iudicio totius Eccleſiæ, ac præcipuè eius, qui à Deo toti Eccleſiæ præfectus eſt.

Nam quod aiunt, Eccleſiam totam, ſi verbo Dei non nitatur, errare poſſe; nos dicimus, quia verbo Dei non poteſt non inſiſtere, gubernante illam Spiritu ſancto, ideo neque errare poſſe. Hinc fit vt apud Catholicos, quæ ſemel ad fidem ſpectantia decreta ſunt, nunquã poſtea vllis ſæculis mutentur, ſed ſumma ſit in rebus fidei conſtantia. At apud aduerſarios, ſemper ſumma inconſtantia, & mutabilitas verſatur, cuius vel vnicum exemplum eſſe poteſt, Confeſſio Auguſtana, toties recocta, mutata, & emendata. Lutherus etiam ipſe in præfatione primi Tomi, ſuam hanc in rebus fidei inconſtantiam agnoſcit, & deprecatur quòd non ſtatim omnia comprehendere, & ab omnibus erroribus ſe expedire potuerit. Hinc eſt illa concordia, nunquam ſatis laudata in Eccleſia Catholica in rebus fidei, quòd vnum & idem in orbe credant atque prædicent, & ſint labij vnius, tot nationes diuerſæ, tot ingenia differẽtia & diſcrepantia: cumque Euangelici ne vnum conciliũ ex toto orbe habere hactenus potuerint; Catholici ſexdecim generalia concilia, præter prouincialia innumera, ſumma

Obiectio ſoluitur.

ma concordia celebrarunt. Nempe digitus Dei est hic, & dextra excelsi fecit hæc omnia.

NONA DEMONSTRATIO.

Ministri Euangelij fructum adferunt Euangelio dignum, hoc est, vitæ sanctimoniam.

Hunc fructum non adferunt Ministri Euangelici:

Ergo non sunt veri Euangelij ministri.

CAPVT XIII.

Ministri Euangelici nullum fructum sanctitatis sua doctrina Ecclesiæ attulerunt, ideoque non sunt legitimi ministri Euangelij.

Fructus verbi Dei & sanctorũ est sanctitas. Hebr. 4. v. 12.

FAlsos prophetas iubet Dominus ex fructibus eorum cognosci. *Neque enim arbor mala, bonos fructus facere potest, neque colligunt ex tribulis ficus, ex sentibus vuas.* Fructus præcipuus verbi & Sacramentorũ, quorum dicunt se ministros Euangelici, est sanctitas. *Viuus enim est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionẽ animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Quare non est mirum, quòd faciat homines in carne supra carnem viuere, omnia terrena quasi stercora ducere, & pro Christi amore contemnere, carnem cilicijs & alijs asperitatibus edomare, vitam in terris Angelicam ducere. Sacramentorum etiã effectus est maximus, in gratia Dei varijs modis communicanda, & sanctitate inducenda; cùm ad eum solum finem sint instituta, vt diuinas opes in nos effundant, & diuinis donis impleant animas nostras.

Nulli Euãgelici sunt sanctitate insignes.

Ergone Euangelici Ministri efficiunt hunc fructũ tam admirabilis sanctitatis? nihil minus. Res per se clarissima est, nullum ex ipsorum secta & institutione

ne

ne hactenus prodijsse, aliqua sanctitate illustrem, qui cum innumeris millibus sanctorũ Ecclesiæ Catholicæ comparari posit. Nullus apud illos consilia Christi sequitur, nullus vadit & vendit omnia, & dat pauperibus, vt sequatur Christum. Voluntaria paupertas superstitio illis est. Castitatem perpetuam seruare impossibile, & ad eam se voto adstringere, stultũ: vsum mulieris ita esse cuique necessarium, vti escam & potum, Apostolus noui huius Euangelij Martinus Lutherus, publicè docuit in suo illo fœdissimo sermone de Matrimonio Witembergæ habito, Anno D. 1522. vbi illud etiam pudendum, & honestis auribus indignum pronunciauit: Si non vult vxor, veniat ancilla: & sicut non est in meis viribus situm, vt vir non sim; ita etiam non est mei iuris, vt absque muliere sim. Neque verò solùm ipsi non sequuntur consilia Christi; sed etiam eos qui suam fidem Christo dederunt, & se votis perpetuæ castitatis obstrinxerunt, ad defectionem sollicitant, atque ad rescindendam fidem Deo datam adducunt, & Christi sponsas ad sacrilegas nuptias pertrahunt; cuius rei memorabile exemplũ Lutherus cum sua Catharina reliquit.

Impudentia Lutheri.

Multos sanctorum fecit admirabiles pœnitentia, & asperitas vitæ, ob quam ferrei magis, quàm carnei credebantur. At ex tanto numero Euangelicorum, nullus auditus hactenus est, qui illam admirabilem sanctorum pœnitentiam sit imitatus, nullus Ioannis Baptistæ exemplo ad desertum se contulit, vt ibi cilicio ex pilis camelorum indutus, aqua & oleribus victitaret: quin etiam ieiunia omnibus Christianis communia, in carnes & delicias commutarunt, superstitiosum asserentes delectum in cibis facere, etiã

pœnitentiæ causa, quod proculdubio Christo ipsi in deserto, & Ioanni Baptistæ obiecissent. Non legimus quenquam illorum; diuinarum rerum contemplatione raptum in cœlũ vsque, aut extasi extra se factũ, & à sensibus alienatum, aut diuinæ dulcedinis copia ita inebriatum, vt animo deficeret, & deliquium pateretur: quæ de plurimis Sanctis noui Testamenti, historiæ prodiderunt, & totus mundus agnoscit.

Ministri Euangelici docent fidẽ latam.

At qui excellentem illam sanctitatẽ hactenus inducere non potuerunt, vtinam communem saltem vitæ, & morum integritatem induxissent, & spaciosam illam viam, quæ ducit ad interitum, hominibus sua doctrina non patefecissent. Docent illi solam fidem iustificare, solam ad salutem sufficere; ex quo quid consequitur, nisi vana & inania reliqua omnia pœnitentiæ & sanctitatis opera; quo nulla potest esse maior pestis virtutũ & sanctimoniæ. Quorsum enim bona facienda opera, si nullũ nobis salutis & iustitiæ fructum conferunt, cùm hæc meliori compendio solius scilicet fidei obtineãtur? *At* non solùm hoc doctrinã ipsorum consequitur, sed ipsissima est, & expressissima eorũ doctrina, omnia opera nostra quantumuis bona, peccata esse, secundùm quidem diuinum rigorẽ mortalia, secundùm verò misericordiam venialia. Hic enim est Lutheri articulus vnus ex assertis. Caluinus 3. Instit. c. 11. n. 23. nullum dicit exire à sanctis opus bonum, quod non mereatur iustam opprobrij mercedẽ. Quid insanius dici potuit, quid magis auocans homines ab omni operum bonorum exercitio? Si enim opera quantumuis bona & sancta, sunt peccata; diuina verò lex est, vt ab õni peccatorũ genere abstineãus: quis nõ videt, nos debere ab õnibus operibus quantũuis bonis & sanctis abstinere, ne

Absurda doctrina Euangelicorum de bonis operibus.

faciendo

faciendo pecceũs? Parũ enim refert dicere, contegi talia opera iustitia Christi, & accepta Deo fieri. Nam quomodo peccata accepta esse Deo possunt? remitti quidẽ, & condonari propter Christum possunt peccata nostra, at grata & accepta esse minimè: nisi velimus Deum amare iniquitatem. Quod si nunquam opera nostra bona, Deo grata esse possunt, satiùs erit ab illis abstinere, quàm ea patrare, vt iustitia Christi contegantur. Quin & illud sequitur, Deum, cùm nobis opera quæcunque præcipit, peccata præcipere, cùm nulla opera facere possimus, quæ nõ sint peccata. At quomodo Deus, qui est summa bonitas, & ab omni malo nos auocat, peccatum præcipere potest?

Quàm verò spatiosa est illa ad interitum via, sola fides iustificans? quàm laxa, & ad omnem licentiam propensissima? Si enim semel persuaserint sibi homines sola fide se posse iustificari, laxabunt habenas omnibus sceleribus, cùm nihil amplius in pœnam scelerum illis faciendũ supersit, quàm credere; quo nihil facilius, nihil leuius. Peccent sanè quantũ volunt, dum modò credant, salui erunt. Cùm igitur talia docent Euangelici Ministri, fieri non potest, vt aliquam formam sanctitatis imprimant suis auditoribus, sicut & cùm docent mandata Dei esse seruatu impossibilia, præsertim verò mandatum de nõ concupiscendo, & de diligendo Deo super omnia.

Sola fides iustificans quàm absurda.

Adde, quòd fontes ex quibus omnis in nos sanctitas, diuina institutione profluit; isti sustulerunt, nempe Sacramenta omnia. Præter Baptismum, nullum verũ Sacramentum habent. Sacramentum absolutionis ad remittenda peccata institutum, non admit-

Ministri Euangelici fontes sanctitatis sustulerunt.

tunt. Sacramentũ vero Euchariſtiæ, admittunt quidem; ſed Chriſto vacuum, atque propterea ad vitam æternam comparandã inefficax. Reliqua Sacramenta floccipendunt. Nihil igitur mirum, fontibus diuinæ gratiæ ſiccatis, nullã in homines ſanctitatem promanare, quin potiùs peccata augeri & excreſcere in immenſum. Quare Eraſmus Roterodamus, in quadã Epiſtola ad Pſeudo Euangelicum, ita ſcriptum reliquit de nouis iſtis Euangelicis: *Mihi adhuc nemin ẽ contigit noſſe, qui non videatur ſeipſo factus deterior. Circumſpice ſodalitatem iſtam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames?* Et in Epiſtola ad Vulturium quendam: *Profert* (inquit) *mihi, quẽ iſtud Euangelium ex commeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, de maledico benedicũ, ex impudico reddiderit verecundũ. Ego tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſeipſis deteriores.* Verùm ipſe quoque Lutherus teſtimonium huic rei perhibet in Poſtilla ſuper Euangelium Dominicæ I. Aduentus, cùm ait *ſuos Euangelicos eſſe multò deteriores, quàm fuerint in Papatu*. Neque mirum. nihil enim eſt quod illos à peccato deterreat, cùm omnẽ pœnitentiam, & pro peccatis ſatisfactionem ſuſtulerint. Pœnitentia illis eſt fides, pœna pro peccatis paſſio Chriſti. Quare ſuo malo edocti Euangelici, ſublata confeſſione, videntes laxata fræna licentiæ, & impunitati peccandi; magnis precibus olim in comitijs Imperialibus poſtularunt reſtitui confeſſionẽ ad Eccleſias Euangelicas, quòd ſine ea coërceri, infinita libido peccandi non poſſit.

Quàm mali ſint Euãgelici.

Euangelici ob peßimos ſuorum mores, iterum petierunt reſtitui cõfeſſionem. Sotus in 4. d. 18. q. 1. a. 1.

Neque verò requirimus ab Euãgelicis, vt ſint omnẽs ſancti, quod neque apud Catholicos inuenitur;

ſed

ſed hoc ſolùm vrgemus, quòd fides iſta Euangelica, facere ſanctum neminem poſſit. nam ex Catholicis, innumeros cenſemus Sanctos, in omni genere ſanctitatis admirabiles: ex Euangelicis ne vnum numerare poſſumus; cuius rei doctrina illorum eſt præcipua cauſa. Ea enim omnia media, ex quibus effici quis Sanctus poteſt, tollit & condemnat; ea verò quibus ad omnia mala habenę laxantur, tuetur & approbat.

Accedit quòd non modò Sanctos non faciunt; ſed ijs qui his mille ſexcẽtis annis fuerunt in Eccleſia Sancti, bellum inferũt; eos omnes erroris accuſant, quòd errores Euangelicorum non approbarint, neque vnquam ſe adduci ſinunt, vt iudicio & conſenſu ſanctorum Patrum ſe iudicari patiantur. Teſtes ſunt Centuriatores, qui cum ſingulis ſæculis, in ſcriptis ſanctorum Patrum adnotaſſent articulos de Miſſa, Purgatorio, Imaginibus, Sanctorum inuocatione, & reliquos articulos Catholicos: dixerunt iſtos fuiſſe næuos ſanctorum Patrum. Scilicet puriorem fidem habent Euãgelici, quàm Sancti omnes: quaſi aut ſine fide quiſpiam eſſe Sanctus, & placere Deo poſſit, aut quiſpiã diuini luminis copiam, & ſancti Spiritus communicationem maiorem habeat, ad perſpiciendas res fidei, quàm ſancti Dei homines, quos Diuus Petrus vocat *Spiritu ſancto inſpiratos*. *Euangelici ſanctis bellum inferũt*

Nullo igitur modo fides, quam prædicant Euangelici, Sanctorum fides dici poteſt, cùm neque Sanctos faciat, neque cũ Sanctis concordet, neque quiſpiam Sanctorum vnquam illam ſit ſecutus. Ac ne is quidem, qui primus eam fidem Euangelicis attulit Martinus Lutherus, huius quinti Euangelij Apoſto- *Fides Euãgelicorum non eſt fides ſanctorum.* *Lutherus qualis.*

lus multo ſanctior fuit. Nam vt omittam, quòd de tali Euangelio nunquã cogitaſſet, niſi ambitione prouocatus, eo quòd munus promulgandarum indulgẽtiarum ſui Ordinis Monachis, ad Monachos Ordinis Prædicatorũ tranſlatum eſſet, teſte Cochlæo in actis Lutheri; quodque dæmonem ipſum, & conſultorem & autorem huius Euangelij habuerit, ab eoque conuictus, cõceſſerit Miſſã priuatã eſſe rẽ malã. Certè ſcripta ipſius Lutheri, ſummam eius arrogantiam & faſtum teſtantur. Scripſit in Epiſtola ad Argentinenſes, ſe libenter negaturũ fuiſſe præſentiã Chriſti in Euchariſtia, vt ea ratione plurimũ incommodaret Papatui, ſi ſcripturæ clariſſimæ non adhæreret. In formula Miſſæ de vſu vtriuſque ſpeciei, ita ſcribit: *Si quo caſu concilium id ſtatueret ac permitteret,* (nempe vſum vtriuſque ſpeciei) *tunc minimè omniũ nos velle vtraque ſpecie potiri, ac planè eos anathema habere, qui autoritate talis concilij vel ſtatuti vtraque potirentur.* Legi ſimilia plurima poſſunt apud Cochlæum, in Septicipite Luthero. In lib: contra Regem Angliæ, ſuperbiſſimè ſe ſuaque iactat, dicitque *Reges, Principes, Pontifices, non eſſe dignos, qui ſoluant ſuorum corrigiam calceamentorũ, & ſe pro ſancto viro velle haberi, velint nolint homines, & ſe non magni facere mille Cyprianos, & mille Auguſtinos.* Quare ſuis etiam eo nomine exoſus, & intolerabilis fuit. Geſnerus in vniuerſali ſua Bibliotheca, ſic ſcribit: *Illud non eſt diſſimulandum, virum eſſe Lutherum vehemẽtis ingenij, impatientem, & qui niſi per omnia ſibi conſentientes ferre neſciat.* Et infra: *Dominus faxit, ne contentione & impudentia oris obſit Eccleſiæ ſuæ, cuius olim crepundia tam feliciter promouit.* Tigurini Miniſtri in ſua reſponſione ad lib. quem Lutherus contra Zuinglium ſcripſerat, ſic

aiunt:

aiunt: *Propheta & Apostoli Dei gratia, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant. Lutherus autẽ sua quærit, pertinax est, insolẽtia effertur nimia, & in omnibus correptionibus suis, plurimũ in eo maligni spiritus, quàm minimũ verò amici & paterni animi deprehenditur.* Hæc õnia, cùm sint vera ipsis aduersarijs testibus, facilè quisque perspiciet, quàm sanctũ sit hoc Euangeliũ, quod isti prædicant, ex quo nec gutta sanctitatis elici hactenus potuit.

DECIMA DEMONSTRATIO.

Ministris veris Deus cooperatur, & sermonem confirmat sequentibus signis.

Ministris Euangelicis nunquam est cooperatus Deus, neque sermonem eorum confirmauit sequentibus signis:

Non sunt igitur veri ministri.

CAPVT XIIII.

Ministri Euangelici nulla vllo tempore miracula ediderunt, sunt igitur falsi ministri.

DOlet Ministris cũ illos miraculis perurgemus. non doleret si proferre aliqua, pro se possent. Tentarunt quidem aliqui aliqua, sed infælici successu. nam & Lutherus dum Dæmonem, ex quadam discipula sua obsessa, eijcere tentaret, parum abfuit qui nà Dæmone opprimeretur, Staphylo oculato rei teste. Et Caluinus cum Brulæum fictè mortuum ad vitam reuocare conaretur, reuera mortuum effecit, vt refert Bolescus in vita Caluini cap. 13. *Infælici successu ministri Euãgelici tentarunt facere miracula.*

Non patiuntur has angustias Catholici, qui omnium temporum, & sæculorũ, plurima & maxima miracula à Sanctissimis viris patrata, & à grauissimis autoribus conscripta, proferre possunt. Testes sunt ipsi *Apud Catholicos plurima sunt miracula.*

Centu-

Centuriatores Magdeburgẽſes, in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica: qui in ſingulis centurijs cap. 13. annotarunt, ex authoribus illorum temporum plurima miracula à viris Catholicis, ad confirmationẽ dogmatum Catholicorũ edita. Quæ licet illi more ſuo illuſiones Dæmonis vocant, eo modo quo Phariſæi dixerunt Chriſtum in virtute Beelzebub eijcere Dæmonia: tamen neque vllis documentis id probant, neq; aliam cauſſam adferunt, niſi quod Lutheri Euangelio repugnẽt; cùm tamẽ nos ex altera parte grauiſſimorum & ſanctiſſimorũ Patrum teſtimonia producamus, quibus ſi fides ſemel abrogetur, nullis Scriptoribus quorumcumque ſæculorum adhibenda erit, cum nullus illis ſanctimonia, authoritate, fidei integritate par eſſe poſſit. Certè Aug. 22. de ciuitate, plurima ſui temporis miracula commemorat. Gregorij, qui à miraculorum effectione Thaumaturgus eſt dictus, refert Gregorius Niſſenus in eius vita: Martini Sulpitius; aliorum ſæculorum alij, quos recenſet Bellarminus, in libro 4. de notis Eccleſiæ.

Miracula Apoſtolorũ non ſunt Euangelicorum.

Primæ obiectioni ſatisfit.

Proferant Euangelici, per mille ſexcentos annos, vel vnum miraculum à ſuæ ſectæ hominibus factum, quos nimirum conſtet, extra omnẽ controuerſiam Euangelicos fuiſſe. Proferunt illi quidem Apoſtolorum miracula, quaſi demonſtraſſent Apoſtolos Euangelicos fuiſſe, & ipſorum errores docuiſſe. Nonne & Arriani & omnes cuiuſuis ſectę hæretici, Apoſtolos ſuos eſſe volunt? quare & eorum miracula, non magis hi quàm alij ſibi vendicãt: & ſicut ea alijs Euãgelici non concedunt, ita nec alij illis. Nam quod aiunt, miracula Catholicorum eſſę falſa, eò quod euertant

Euan-

Euangelium, verum dicunt, si Euangelium Lutheri & Caluini intelligant; falsum, si Christi. Christi enim Euangelium est illud, quod à Christi temporibus prædicabitur ad finem vsque mundi in orbe terrarum. Atqui non Lutheri, aut Caluini Euangelium, sed id quod Catholici agnoscunt, omnibus sæculis fuit in orbe terrarum prædicatum, & miraculis confirmatum. Non igitur Christi, sed Caluini & Lutheri Euangelium miraculis Catholicorum euertitur. Deinde, qui fieri potest, vt non sit Christi Euangelium, quod tot miraculis omnibus sæculis, temporibus, locis, est confirmatum; illud verò vt habeatur pro Christi Euangelio, quod nulla vnquam miracula habuit? Sunt enim miracula diuina quædam testimonia, ideo enim dicitur Hebr. 2. vers. 4. *Contestante Deo signis & portentis, & virtutibus.* Et Marci vltimo: *Illi verò profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid aliud est fidem miraculis confirmari, quàm diuinis testimoniis confirmari? Certè aut fides Catholica vera est, ob tot & tanta miracula: aut ad diuinam prouidentiam spectaret, ea non permittere ad falsæ fidei confirmationem: maximè cùm talia Catholici miracula proferant, quæ cum miraculis Apostolorum conferri possint, pleraque etiam superare videantur.

Scripturis, inquiunt, agendum est, non miraculis. Ita quidem, si de recta scripturarum intelligentia constaret. At cùm scripturas variè torqueant, & ad suos sensus accommodent; diuino testimonio est opus, vtri scripturas verè & ad animarum salutem accommodatè exponant, Hæreticinè ad Catholici? *Secundæ obiectioni respōdetur.*

O Arria.

ma concordia celebrarunt. Nempe digitus Dei est hic, & dextra excelsi fecit hæc omnia.

NONA DEMONSTRATIO.

Ministri Euangelij fructum adferunt Euangelio dignum, hoc est, vitæ sanctimoniam.
Hunc fructum non adferunt Ministri Euangelici:
Ergo non sunt veri Euangelij ministri.

CAPVT XIII.

Ministri Euangelici nullum fructum sanctitatis sua doctrina Ecclesiæ attulerunt, ideoque non sunt legitimi ministri Euangelij.

Fructus verbi Dei & sanctorū est sanctitas. Herb. 4. ℣. 12.

FAlsos prophetas iubet Dominus ex fructibus eorum cognosci. *Neque enim arbor mala, bonos fructus facere potest, neque colligunt ex tribulis ficus, ex sentibus vuas.* Fructus præcipuus verbi & Sacramentorū, quorum dicunt se ministros Euangelici, est sanctitas. *Viuus enim est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionē animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Quare non est mirum, quòd faciat homines in carne supra carnem viuere, omnia terrena quasi stercora ducere, & pro Christi amore contemnere, carnem cilicijs & alijs asperitatibus edomare, vitam in terris Angelicam ducere. Sacramentorum etiā effectus est maximus, in gratia Dei varijs modis communicanda, & sanctitate inducenda; cùm ad eum solum finem sint instituta, vt diuinas opes in nos effundant, & diuinis donis impleant animas nostras.

Nulli Euāgelici sunt sanctitate insignes.

Ergone Euangelici Ministri efficiunt hunc fructū tam admirabilis sanctitatis? nihil minus. Res per se clarissima est, nullum ex ipsorum secta & institutione

ne

ne hactenus prodijsse, aliqua sanctitate illustrem, qui cum innumeris millibus sanctorũ Ecclesiæ Catholicæ comparari posit. Nullus apud illos consilia Christi sequitur, nullus vadit & vendit omnia, & dat pauperibus, vt sequatur Christum. Voluntaria paupertas superstitio illis est. Castitatem perpetuam seruare impossibile, & ad eam se voto adstringere, stultũ: vsum mulieris ita esse cuique necessarium, vti escam & potum, Apostolus noui huius Euangelij Martinus Lutherus, publicè docuit in suo illo fœdissimo sermone de Matrimonio Witembergæ habito, Anno D. 1522. vbi illud etiam pudendum, & honestis auribus indignum pronunciauit: Si non vult vxor, veniat ancilla: & sicut non est in meis viribus situm, vt vir non sim; ita etiam non est mei iuris, vt absque muliere sim. Neque verò solùm ipsi non sequuntur consilia Christi; sed etiam eos qui suam fidem Christo dederunt, & se votis perpetuæ castitatis obstrinxerunt, ad defectionem sollicitant, atque ad rescindendam fidem Deo datam adducunt, & Christi sponsas ad sacrilegas nuptias pertrahunt; cuius rei memorabile exemplũ Lutherus cum sua Catharina reliquit.

Impudentia Lutheri.

Multos sanctorum fecit admirabiles pœnitentia, & asperitas vitæ, ob quam ferrei magis, quàm carnei credebantur. At ex tanto numero Euangelicorum, nullus auditus hactenus est, qui illam admirabilem sanctorum pœnitentiam sit imitatus, nullus Ioannis Baptistæ exemplo ad desertum se contulit, vt ibi cilicio ex pilis camelorum indutus, aqua & oleribus victitaret: quin etiam ieiunia omnibus Christianis communia, in carnes & delicias commutarunt, superstitiosum asserentes delectum in cibis facere, etiã

N pœni-

pœnitentiæ causa, quod proculdubio Christô ipsi in deserto, & Ioanni Baptistæ obiecissent. Non legimus quenquam illorum; diuinarum rerum contemplatione raptum in cœlũ vsque, aut extasi extra se factũ, & à sensibus alienatum, aut diuinæ dulcedinis copia ita inebriatum, vt animo deficeret, & deliquium pateretur; quæ de plurimis Sanctis noui Testamenti, historiæ prodiderunt, & totus mundus agnoscit.

Ministri Euangelici docent fidẽ latam.

At qui excellentem illam sanctitatẽ hactenus inducere non potuerunt, vtinam communem saltem vitæ, & morum integritatem induxissent, & spaciosam illam viam, quæ ducit ad interitum, hominibus sua doctrina non patefecissent. Docent illi solam fidem iustificare, solam ad salutem sufficere; ex quo quid consequitur, nisi vana & inania reliqua omnia pœnitentiæ & sanctitatis opera; quo nulla potest esse maior pestis virtutũ & sanctimoniæ. Quorsum enim bona facienda opera, si nullũ nobis salutis & iustitiæ fructum conferunt, cùm hæc meliori compendio solius scilicet fidei obtineãtur? *At* non solùm hoc doctrinã ipsorum consequitur, sed ipsissima est, & expressissima eorũ doctrina, omnia opera nostra quantumuis bona, peccata esse, secundùm quidem diuinum rigorẽ mortalia, secundùm verò misericordiam venialia. Hic enim est Lutheri articulus vnus ex assertis. Caluinus 3. Instit. c. 11. n. 23. nullum dicit exire à sanctis opus bonum, quod non mereatur iustam opprobrij mercedẽ. Quid insanius dici potuit, quid magis auocans homines ab omni operum bonorum exercitio? Si enim opera quantumuis bona & sancta, sunt peccata; diuina verò lex est, vt ab õni peccatorũ genere abstineãus: quis nõ videt, nos debere ab õnibus operibus quantũuis bonis & sanctis abstinere, ne

Absurda doctrina Euangelicorum de bonis operibus.

faciendo

faciendo peccēus? Parũ enim refert dicere, contegi talia opera iuſtitia Christi, & accepta Deo fieri. Nam quomodo peccata accepta eſſe Deo poſſunt? remitti quidé, & condonari propter Christum poſſunt peccata noſtra, at grata & accepta eſſe minimè: niſi velimus Deum amare iniquitatem. Quod ſi nunquam opera noſtra bona, Deo grata eſſe poſſunt, ſatiùs erit ab illis abſtinere, quàm ea patrare, vt iuſtitia Christi contegantur. Quin & illud ſequitur, Deum, cùm nobis opera quæcunque præcipit, peccata præcipere, cùm nulla opera facere poſſimus, quæ nõ ſint peccata. At quomodo Deus, qui eſt ſumma bonitas, & ab omni malo nos auocat, peccatum præcipere poteſt?

Quàm verò ſpatioſa eſt illa ad interitum via, ſola fides iuſtificans? quàm laxa, & ad omnem licentiam propenſiſſima? Si enim ſemel perſuaſerint ſibi homines ſola fide ſe poſſe iuſtificari, laxabunt habenas omnibus ſceleribus, cùm nihil amplius in pœnam ſcelerum illis faciendũ ſuperſit, quàm credere; quo nihil facilius, nihil leuius. Peccent ſanè quantũ volunt, dum modò credant, ſalui erunt. Cùm igitur talia docent Euangelici Miniſtri, fieri non poteſt, vt aliquam formam ſanctitatis imprimant ſuis auditoribus, ſicut & cùm docent mandata Dei eſſe ſeruatu impoſſibilia, præſertim verò mandatum de nõ concupiſcendo, & de diligendo Deo ſuper omnia.

Sola fides iuſtificans quàm abſurda.

Adde, quòd fontes ex quibus omnis in nos ſanctitas, diuina inſtitutione profluit; iſti ſuſtulerunt. nempe Sacramenta omnia. Præter Baptiſmum, nullum verũ Sacramentum habent. Sacramentum abſolutionis ad remittenda peccata inſtitutum, non admittunt.

Miniſtri Euangelici fontes ſanctitatis ſuſtulerunt.

tunt. Sacramentũ vero Eucharistiæ, admittunt quidem; sed Christo vacuum, atque propterea ad vitam æternam comparandã inefficax. Reliqua Sacramenta floccipendunt. Nihil igitur mirum, fontibus diuinæ gratiæ siccatis, nullã in homines sanctitatem promanare, quin potiùs peccata augeri & excrescere in immensum. Quare Erasmus Roterodamus, in quadã Epistola ad Pseudo Euangelicum, ita scriptum reliquit de nouis istis Euangelicis: *Mihi adhuc neminẽ contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior. Circumspice sodalitatem istam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames?* Et in Epistola ad Vulturium quendam: *Profert* (inquit) *mihi, quẽ istud Euangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, de maledico benedicũ, ex impudico reddiderit verecundũ. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Verùm ipse quoque Lutherus testimonium huic rei perhibet in Postilla super Euangelium Dominicæ I. Aduentus, cùm ait *suos Euangelicos esse multò deteriores, quàm fuerint in Papatu*. Neque mirum, nihil enim est quod illos à peccato deterreat, cùm omnẽ pœnitentiam, & pro peccatis satisfactionem sustulerint. Pœnitentia illis est fides, pœna pro peccatis passio Christi. Quare suo malo edocti Euangelici, sublata confessione, videntes laxata fræna licentiæ, & impunitati peccandi; magnis precibus olim in comitijs Imperialibus postularunt restitui confessionẽ ad Ecclesias Euangelicas, quòd sine ea coërceri, infinita libido peccandi non possit.

Quàm mali sint Euãgelici.

Euangelici ob pessimos suorum mores, iterum petierunt restitui cõfessionem. Sotus in 4. d. 18. q. 1. a. 1.

Neque verò requirimus ab Euãgelicis, vt sint omnes sancti, quod neque apud Catholicos inuenitur;

sed

sed hoc solùm vrgemus, quòd fides ista Euangelica, facere sanctum neminem possit. nam ex Catholicis, innumeros censemus Sanctos, in omni genere sanctitatis admirabiles: ex Euangelicis ne vnum numerare possumus; cuius rei doctrina illorum est præcipua causa. Ea enim omnia media, ex quibus effici quis Sanctus potest, tollit & condemnat; ea verò quibus ad omnia mala habenę laxantur, tuetur & approbat.

Accedit quòd non modò Sanctos non faciunt, sed ijs qui his mille sexcẽtis annis fuerunt in Ecclesia Sancti, bellum inferũt; eos omnes erroris accusant, quòd errores Euangelicorum non approbarint, neque vnquam se adduci sinunt, vt iudicio & consensu sanctorum Patrum se iudicari patiantur. Testes sunt Centuriatores, qui cum singulis sæculis, in scriptis sanctorum Patrum adnotassent articulos de Missa, Purgatorio, Imaginibus, Sanctorum inuocationę, & reliquos articulos Catholicos: dixerunt istos fuisse næuos sanctorum Patrum. Scilicet puriorem fidem habent Euãgelici, quàm Sancti omnes: quasi aut sine fide quispiam esse Sanctus, & placere Deo possit, aut quispiã diuini luminis copiam, & sancti Spiritus communicationeḿ maiorem habeat, ad perspiciendas res fidei, quàm sancti Dei homines, quos Diuus Petrus vocat *Spiritu sancto inspiratos*.

Euangelici sanctis bellum inferũt

Nullo igitur modo fides, quam prædicant Euangelici, Sanctorum fides dici potest, cùm neque Sanctos faciat, neque cũ Sanctis concordet, neque quispiam Sanctorum vnquam illam sit secutus. Ac ne is quidem, qui primus eam fidem Euangelicis attulit Martinus Lutherus, huius quinti Euangelij Apostolus

Fides Euãgelicorum non est fides sanctorum.

Lutherus qualis.

lus multo sanctior fuit. Nam vt omittam, quòd de tali Euangelio nunquã cogitasset, nisi ambitione prouocatus, eo quòd munus promulgandarum indulgẽtiarum sui Ordinis Monachis, ad Monachos Ordinis Prædicatorũ translatum esset, teste Cochlæo in actis Lutheri; quodque dæmonem ipsum, & consultorem & autorem huius Euangelij habuerit, ab eoque conuictus, cõcesserit Missã priuatã esse rẽ malã. Certè scripta ipsius Lutheri, summam eius arrogantiam & fastum testantur. Scripsit in Epistola ad Argentinenses, se libenter negaturũ fuisse præsentiã Christi in Eucharistia, vt ea ratione plurimũ incommodaret Papatui, si scripturæ clarissimæ non adhæreret. In formula Missæ de vsu vtriusque speciei, ita scribit: *Si quo casu concilium id statueret ac permitteret,* (nempe vsum vtriusque speciei) *tunc minimè omniũ nos velle vtraque specie potiri, ac planè eos anathema habere, qui autoritate talis concilij vel statuti vtraque potirentur.* Legi similia plurima possunt apud Cochlæum, in Septicipite Luthero. In lib. contra Regem Angliæ, superbissimè se suaque iactat, dicitque *Reges, Principes, Pontifices, non esse dignos, qui soluant suorum corrigiam calceamentorũ, & se pro sancto viro velle haberi, velint nolint homines, & se non magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos.* Quare suis etiam eo nomine exosus, & intolerabilis fuit. Gesnerus in vniuersali sua Bibliotheca, sic scribit: *Illud non est dissimulandum, virum esse Lutherum vehemẽtis ingenij, impatientem, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nesciat.* Et infra: *Dominus faxit, ne contentione & impudentia oris obsit Ecclesiæ suæ, cuius olim crepundia tam feliciter promouit.* Tigurini Ministri in sua responsione ad lib. quem Lutherus contra Zuinglium scripserat, sic

aiunt:

aiunt: *Prophetæ & Apostoli Dei gratia, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant. Lutherus autẽ sua quærit, pertinax est, insolẽtia effertur nimia, & in omnibus correptionibus suis, plurimũ in eo maligni spiritus, quàm minimũ verò amici & paterni animi deprehenditur.* Hæc õnia, cùm sint vera ipsis aduersarijs testibus, facilè quisque perspiciet, quàm sanctũ sit hoc Euangeliũ, quod isti prædicant, ex quo nec gutta sanctitatis elici hactenus potuit.

DECIMA DEMONSTRATIO.

Ministris veris Deus cooperatur, & sermonem confirmat sequentibus signis.

Ministris Euangelicis nunquam est cooperatus Deus, neque sermonem eorum confirmauit sequentibus signis:

Non sunt igitur veri ministri.

CAPVT XIIII.

Ministri Euangelici nulla vllo tempore miracula ediderunt, sunt igitur falsi ministri.

DOlet Ministris cũ illos miraculis perurgemus. non doleret si proferre aliqua, pro se possent. Tentarunt quidem aliqui aliqua, sed infælici successu. nam & Lutherus dum Dæmonem, ex quadam discipula sua obsessa, eijcere tentaret, parum abfuit quin à Dęmone opprimeretur, Staphylo oculato rei teste. Et Caluinus cum Brulæum fictè mortuum ad vitam reuocare conaretur, reuera mortuum effecit, vt refert Bolescus in vita Caluini cap. 13.

Infælici successu ministri Euãgelici tentarunt facere miracula.

Non patiuntur has angustias Catholici, qui omnium temporum, & sæculorũ, plurima & maxima miracula à Sanctissimis viris patrata, & à grauissimis autoribus conscripta, proferre possunt. Testes sunt ipsi Centu-

Apud Catholicos plurima sunt miracula.

Euangelium, verum dicunt, si Euangelium Lutheri & Caluini intelligant; falsum, si Christi. Christi enim Euangelium est illud, quod à Christi temporibus prædicabitur ad finem vsque mundi in orbe terrarum. Atqui non Lutheri, aut Caluini Euangelium, sed id quod Catholici agnoscunt, omnibus sæculis fuit in orbe terrarum prædicatum, & miraculis confirmatum. Non igitur Christi, sed Caluini & Lutheri Euangelium miraculis Catholicorum euertitur. Deinde, qui fieri potest, vt non sit Christi Euangelium, quod tot miraculis omnibus sæculis, temporibus, locis, est confirmatum; illud verò vt habeatur pro Christi Euangelio, quod nulla vnquam miracula habuit? Sunt enim miracula diuina quædam testimonia, ideo enim dicitur Hebr. 2. vers. 4. *Contestante Deo signis & portentis, & virtutibus.* Et Marci vltimo: *Illi verò profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid aliud est fidem miraculis confirmari, quàm diuinis testimoniis confirmari? Certè aut fides Catholica vera est, ob tot & tanta miracula: aut ad diuinam prouidentiam spectaret, ea non permittere ad falsæ fidei confirmationem: maximè cùm talia Catholici miracula proferant, quæ cum miraculis Apostolorum conferri possint, pleraque etiam superare videantur.

Scripturis, inquiunt, agendum est, non miraculis. Ita quidem, si de recta scripturarum intelligentia constaret. At cùm scripturas variè torqueant, & ad suos sensus accommodent; diuino testimonio est opus, vtri scripturas verè & ad animarum salutem accommodatè exponant, Hæreticinè ad Catholici? *Secunda obiectioni respōdetur.*

O Arria.

Arriani an Caluinistæ vel Lutherani? Non igitur nos contemptis scripturis, miracula quærimus; sed scripturis insistendo, eos dicimus rectè de scripturis sentire, easque probè interpretari, quorum sensum Deus de cælo miraculis confirmat; eos verò esse falsos scripturæ interpretes, quibus Deus de cælo non attestatur.

Hæretici miracula nunquam fecerunt.

At hæretici etiam aliquando miracula fecisse leguntur, nam & Paulo Episcopo Nouatiano, Iudæum impostorem baptizante aqua sacri fontis disparuit. Et Aug. tract. 13. in Ioan. Donatistas vocat per contemptum mirabiliarios, neque illis fidem adhibendã esse, etiamsi miracula faciant. At negandum est, hæreticos vlla vnquam miracula fecisse, ita vt eorum respectu, nunquam sit à Deo factum vllum miraculum. Nam neque suis precibus, aliquod miraculum à Deo impetrarunt, neque verbo aut opere aliquid fecerunt, vt miraculum fieret. Quod si Iudæo Baptismũ irridente, aqua sacri fontis disparuit; id neque cogitante, neque cooperante Paulo Nouatiano factum est, neque vllo modo in eius gratiam, sed in gratiam Baptismi, qui sacer est à quocunque conferatur, & Deus irrideri non patitur. Mirabiliarios Donatistas meritò contemnit Augustinus cùm nihil tale efficerent, quod verè miraculum esset, & solius Dei virtute præstari possit. solùm enim recitabant visiones quasdam occultas, quæ maximè Dæmonis illusionibus sunt obnoxiæ. Catholicorum vero miracula sunt talia, qualia non nisi Dei potestate fieri possunt, vt est mortuorum suscitatio, cœcorum illuminatio, & similia.

Quod

Quod si dicant, Dæmones, non quidem vera miracula facere posse, at posse apparentia, quæuè vera imitentur miracula. Respondeo: Posse quidem Dæmonem multa moliri, quæ similitudinem miraculorum habeant: at neque Deum permittere Dæmoni hanc potestatẽ, neq; cũ permittit, ea ratione pmittit, vt nõ simul appareat illa esse falsa miracula. Nã si Achabũ decipere Sathan non potuit, vt esset mendax in orę Prophetarũ eius, nisi Dei permissu, & facta à Deo potestate: q̃modo sine Dei cõcessione miracula falsa tentabit? Ad prouidentiã verò Dei pertinet, vt cùm talia Dæmõ molitur, varijs signis pateat ipsorum falsitas & deceptio, ne in errorem inducãtur, si fieri potest etiam electi. Si enim qua in re Dei cura & prouidentia circa fideles versari debet: ea potissimum est, ne fideles miraculis decipiantur. hæc enim esset Dei quasi nomine deceptio. Vnde aut nullis miraculis fideles credere tenerentur, si semper de illis dubitare liceret: aut si credere tenentur, ad Dei prouidentiam spectat, ne fideles miraculorum specie decipiantur. Et hoc non credere, est non credere Dei prouidentiam. Neque porrò per hos mille sexcentos annos, vlla vnquam miracula, vel miraculorum species, à quibuscunque hæreticis effectæ sunt, quin statim iusto Dei iudicio fictio appareret, vt in Caluini & Lutheri paulò antè commemorato miraculo cernere licet.

Obiectio. *Solutio.* *Dei prouidentia.*

Quanquam cùm pro Catholica fide sint iam tot diuinitus facta miracula, vt & numero & magnitudine sint infinita: rectè Catholicis nostris præscribitur, ab ipsorum pastoribus, ne vllis miraculorũ similitudini-

Catholici pro sua fide cur miracula non requirunt.

dinibus à fide Catholica abduci se sinant. Impossibile enim est miracula fieri, quæ fidem tot miraculis confirmatam euertant. Neque enim Deus sibi ipsi potest esse contrarius, neque mendacio testimonium dare. Hoc autem Euangelici facere non possunt, siquidem fidem suam, hoc est Euangelicam, seu Lutheranam, aut Caluinisticam, nullis habent miraculis confirmatam. Quare non possunt miracula, quæ vident in contrarium, respuere, admirari potiùs, expendere & considerare debent; quî fiat, vt fides ipsorum sit ita sterilis & infœcunda, vt nullum miraculum proferre possit. Eam verò quam tantoperè damnant, Deus plurimis miraculis, semper omnibus sæculis illustrauit, & etiam nunc illustrat: frustraq; suam fidem ad fidem Apostolicam referunt, cùm neque hoc illis concedamus, neque ipsi probent. Probare autem deberent, suam fidem, vt his articulis continetur, quibus à Luthero & Caluino explicata est, certè & Apostolorum fuisse, & miraculis illustratam esse. quod hactenus probare non potuerunt, nec poterunt vnquam.

CAPVT XV.

Anonymi cuiusdam Ministri pro Ministris responsum refellitur.

Demõstratio Anonymi.

CVM hæc ederemus, incidit in manus nostras cuiusdã Anonymi libellus, in quo demonstrare nititur, Ministris Euangelicis ministerij controuersiam ritè moueri non posse. Summa demonstrationis est. *Qui enim non se gerit, neq; se gerere debet pro nouo Apostolo aut Propheta; non tenetur suæ vocationis authorem*

thorem ostendere; sed potest ex charitate verbum Dei & Sacramenta proximis ministrare; sine vllo speciali sibi legitimè demandato eius rei munere. Atqui Ministri Euangelici, neque se gerunt, neque gerere debent pro nouis Christi Apostolis aut Prophetis: Non igitur tenentur suæ vocationis & missionis authorem ostendere. Quod verò non se gerant pro Apostolis, res est manifesta. nam Apostoli & Prophetæ errare non possunt. Ministri autem Euangelici, in iis quæ docent, (etiamsi persuasissimum habeant esse verissima,) fatentur se errare posse. Quod verò non debeant pro talibus se gerere, inde constat; quòd doctrinam neque nouam, neque ex nouis principiis, sed ex scriptis Apostolorum & Euangelistarum haustam doceant. Hæc est tota Anonymi demonstratio, ad formam syllogismi reducta, vt tantò magis vis eius tota appareat. Cuius quidem demonstrationis, cum & propositio, & assumptio, & multò magis consecutio neganda sit, facilè quisque colliget nullam in ea veritatis partem contineri.

Primùm igitur dicimus; non solùm nouum Apostolum, sed omnino quemcunque Apostolum, hoc est, quicunque munus Apostolicum in ministrando verbo Dei & Sacramentis, sibi assumit; debere ostendere suæ vocationis & missionis authorem: aliâs pro vero Apostolo & vero Propheta haberi non debet. Clarum est ea de re ius diuinum, cui nemo refragari potest, quod disertis verbis commemorat Paulus ad Hebr. 5. vers. 4. *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*; quod nō solùm de honore aliquo nouiter constituto, & ante à nemine vsurpato; sed absolutè de quouis honore ad ministrandum in iis quæ pertinent ad Deum, accipi debet. Nam & Paulus absolutè loquitur, & ad-

Diuina vocatio omnino omnibus ministris necessaria.

ducit exemplum Aaronis, qui etiamsi non nouam, neque à Moyse differentem doctrinam, aut ritum afferret: debuit tamen vocari legitimè à Deo, & iubente Deo, certa ratione & ceremonia ad id munus consecrari. q ritus nō in ipso solùm obseruari debuit, sed in omnibus omninò sacerdotibus, qui illi in officio successerunt, vel illum in suo ministerio iuuerunt. Quare Deus grauissimè semper offensus fuit, quoties quispiam alius legitimè non consecratus, ea quæ sunt sacerdotum attingeret. quin & legem sanxit, vt si quis non Leuita ad ministrandum accederet, moreretur. Imo si vel tangeret vasa sanctuarij, vel ex curiositate videret quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluerentur, morti addiceretur. Quocirca Ozias Rex perpetua lepra percussus est, eò quòd adolere voluerit incensum super altare thymiamatis: cui etiam propterea restitit Azarias sacerdos cum alijs octoginta: *Non est* (inquiens) *tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: Egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.* Quæ verba sibi dicta putent Ministri Euangelici, cùm sine legitima consecratione & vocatione Ministrorum officium sibi vsurpant.

Num. 3. ℣. 10. *Pœna non legitimè vocatorum* *Num. 4. ℣. 15. & 20.* *2. Par. 26. ℣. 18.*

Porrò idem ius diuinum clarè etiam colligi potest ex altero D. Pauli loco, ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Neque enim solum de nouis Prædicatoribus id Paulus pronunciauit, sed vniuersè de omnibus prædicatoribus, sicut & illa alia: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audiēt sine prædicāte?*

Querela

Querela etiam quã instituit Dominus contra Prophetas, q currebant cùm non mitterentur, an non omnes Prophetas comprehendit; siue nouam doctrinam afferant, siue antiquam, dummodò prædicandi officium ex se sibi vsurpent?

Et sanè si rem ratione expendamus, non in eo solùm vitium est nouorum Prædicatorum, cùm sine legitima vocatione ad prædicandum accedunt, quòd noui Prædicatores sint, & nouam doctrinam afferant, sed absolutè, quòd Prædicatores sint, & officium alienum temerè vsurpent. Cùm enim tot falsi Prædicatores existant, qui suos errores sub prætextu doctrinæ veræ venditent; nemo est qui non videat, aliter huic periculo prospici non posse; nisi vt non in cuiusuis potestate sit, prædicationis officium obire; sed eius duntaxat, qui à legitima potestate & magistratu, ad id munus obeundum approbatus existat. Quin etiam si quod est regimen Pastorum & Episcoporum, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, illud vel maximè in mittendis & præficiendis ministris elucere debet; cùm huius solius rei negligentia plurima incommoda afferre soleat; & regiminis ipsa ratio postulat, vt publica officia, non propria cuiusuis electione; sed eorum qui præsunt voluntate administrentur; idque negare, est omne regimen in Repub. tollere.

Quare ineptum est quod ait Anonymus, cuiuis Christiano homini licere, etiam sine speciali vllo sibi legitimè demandato eius rei munere, charitatem erga proximos exercere, esse verò opus Charitatis ad Aposto-

Apostolicam doctrinã, Christiq; Euangelium complectendum ac retinendum, alios cohortari, Diuinaque oracula, quæ omnibus proposita sunt, illis explicare. Quasi verò opus charitatis dici possit, quod diuinis præceptis aduersatur, quodq; Dei & proximi charitatem offendit. Deus manifestè prohibet, ne quisquam sumat sibi honorem, nisi vocatus sicut Aaron; ne prædicet, nisi missus. An igitur opus charitatis erit Deo repugnare, eiusq; mandata violare? Quæ verò charitas est, alienum officium vsurpare, perturbare ordinem, Magistratus legitimi ius infringere? nequaq̃ ea charitas, sed manifesta iniustitia dici debet. Charitas si est, ordinata est, nulli præiudicium infert, modum à Deo præscriptum & constitutum obseruat; quæ id non facit, fucus quidem charitatis est, non charitas vera. Tale quiddam est, verbi Dei & Sacramentorum ministerium vsurpare, fucus inquã & falsa species charitatis.

Fucus charitatis Euangelicorum.

Nonné charitatem talem æquè mulier exercere posset? quam tamen Paulus nullo modo permittit prædicare: *Mulier* (inquit) *in silentio discat cum omni subiectione, docere autem mulieri non permitto.* Non nisi quia ea charitas illis incumbit, qui cæteris ex officio præsunt, quibusque id officium est legitimè demandatum.

Mulier prædicare non debet.
1. Tim. 2. v. 11.

Priuatim vnus alterum docere, quæ ipse à probatis Prædicatoribus, hoc est legitimè vocatis & missis didicit, potest: at in Ecclesia minimè; nisi ad id munus obeundum ritè vocatus & missus. Qui enim in Ecclesia docet, Dei nomine loquitur, eiusq; personam repræsentat, & vt Paulus ait: *pro Christo legatione fungi-*

2. Cor. 5. v. 20.

fungitur, tanquam Deo per ipsum exhortante. ideoque *2. Cor. 5. ỽ. 20.* personam publicam gerit, & munus sibi à Deo commissum exequitur, quod in hominem priuatum minimè conuenit.

Quare non satis est quod ait Anonymus, vt ij quibus Sacramenta ministrantur, & verbum Dei prædicatur, velint Ministrum ea munera obire. Neq; enim populi est Magistratus creare, & legatos Dei instituere, illosque potestate spirituali (qua ipsi carent) ornare. Dei potestate ad eam rem opus est, quam vel per seipsum, vel per magistratum à se constitutum, hoc est legitimos Episcopos & Pastores exercet. Quare & in rebus publicis hoc maximè cauetur, ne priuati suo arbitratu iudicem sibi deligant, neué ad libitum reijciant eum, qui legitimè à Principe constitutus est: meritoque contra tales pœnæ seditiosorum decernuntur. Quantò magis id in Ecclesia obseruari conuenit, quæ omnibus alijs rebus publicis ordine antecellit, estque sicut *castrorum acies ordinata*.

At inquit Anonymus, Ministros in Sacramentis administrandis nullam vim Sacramentis indere, aut mutationem afferre, vel sanctitatem aliquam ex sua persona toti actioni conciliare; cùm quidquid virtutis, mutationis, sanctitatis inest Sacramentis, id non ex administrantis persona; sed à diuino instituto prorsus pendeat. Quocirca eam ob rem non est necesse Ministros diuinitus vocari & mitti.

Sed errat toto cœlo Anonymus. Nam si baptismũ & matrimonium excipias; illum quidem, quòd ob *Sacramenta pendent à potestate*

P sum-

ministri. summam eius ad salutem necessitatem obtinuit, vt à quolibet in necessitate administrari possit, (licet extra necessitatem ab ordinarijs Ecclesiæ ministris conferri debeat) hoc verò, quòd cùm ipsos contrahentes Ministros habeat; alterius ministri influxu & efficientia non indiget; tamen reliqua omnia Sacramenta, ita à ministri potestate dependent; vt si ab alio quopiam administrentur, totum inane sit & inualidum. In Confirmatione & in Ordinatione per impositionem manuum dabant Apostoli Spiritum sanctum; quod proculdubio præstare nó poterant quicunque fideles. Quapropter electi ad Apostolos deducebantur, vt imponerent illis manus. Et Paulus ait expressè, impositionem manuum, esse Presbyterij seu cœtus Episcoporum. Simon etiam Magus, non ad quoscunque fideles, sed ad Apostolos recurrebat, vt sibi ea potestas conferretur, vt & ipse impositione manuum daret Spiritum sanctum. Scilicet hoc notum erat in illa tum Ecclesia; non quoscunque fideles, sed qui erant legitimè ab Apostolis ad id munus consecrati, potuisse conferre Spiritum sanctum. Pari ratione ad remittenda & retinenda peccata in Sacramento Pœnitentiæ, dedit Christus Apostolis Spiritum sanctum, Ioan. 20. quod sanè non ad quosuis fideles pertinere, quiuis facilè assentietur. Nam neque omnibus datur ad eum finem Spiritus sanctus, neque Apostolis ea potestas facta est, priusquam declararentur legitimè missi: *Sicut*, inquit, *misit me Pater, & ego mitto vos.*

Iam quòd ad Eucharistiam pertinet, si ea nihil aliud esset nisi commemoratio cœnæ Dominicæ, vti

Ano-

Anonymus cum suo Caluino somniat; non esset proculdubio vlla potestas specialis in Ministro necessaria ad Eucharistiam conficiendam; sed quiuis fidelium sicut commemorare cœnam Dominicam potest, ita & conficere; cùm conficere non sit aliud, quàm commemorare. At longè aliter res habet; Eucharistiam enim conficere, non est solùm institutionem corporis & sanguinis Domini commemorare; sed ipsum corpus & sanguinem Domini, sub specie panis & vini constituere, mutatione illa admirabili totius substantiæ panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, vti Catholici omnes sentiunt, sensêruntque semper, edocti à Christo, qui non aliam substantiam in hoc Sacramento indicauit, quàm substãtiam corporis & sanguinis sui; *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* eamque solam panis quem daturus erat, essentiam explicuit. Ioan. 6. *Panis,* inquit, *quem ego dabo, caro mea est.* Porrò tam admirabilem conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Domini efficere non est cuiusuis, sed diuina potestate opus est ad eam rem præstandam, quæ omnes naturæ vires superat. Eam ob rem & Paulus: *Calix,* inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Agnoscit sanè Ministrum non commemorare tantũ benedictionem calicis à Christo factam in vltima cœna, sed reipsa calici benedicere, & benedicendo vinum in sanguinem commutare: ad hunc enim finẽ calici illi benedicitur, vt fiat sanguis Domini, & benedictionis forma non alia est, quàm illa ipsa Domini verba: *Hic est sanguis meus.*

In Eucharistia minister transmutat panem & vinũ in corpus & sanguinem Domini.

Calici benedicit.

Quare vel ex hoc ipso colligitur, solis Apostolis tantum munus commissum esse à Christo illis verbis:

Hoc facite in meam commemorationem. Scilicet Apostolos Christus voluit conficere mysteria corporis & sanguinis sui, facta illis diuina potestate, cæteris verò fidelibus id non commisit, sed eos voluit ab Apostolis mysteria confecta accipere, Apostolosque ipsis dare. Aliâs necesse esset dicere, vti antè inferebamus: Omnes fideles esse institutos à Christo ministros, omnibusque datam potestatem Sacramenta administrandi, quod D. Paulo, & rationi repugnare ostendimus. Hæc ad propositionem Anonymi sint satis.

Ministri Euangelici fatentur se errare posse

Iam cùm Anonymus in Assumptione ait, Ministros Euangelicos non se gerere pro Apostolis & Prophetis, eò quòd Apostoli & Prophetæ errare non possint; Ministri vero vltrò fateantur se posse errare, partim verum, partim falsum asserit. Verum est, imò verissimum, quòd errare possint Ministri, neque possint tantummodò, sed etiam sæpissimè re ipsa errent, quotiescunque fidei Catholicæ contradicunt. Quod si vltrò Ministri Euangelici fatentur se errare posse, quomodo verum est quod adiungit, illos persuasissimum habere verissima esse quæ docent? Anne qui docendo errat, persuasum habet se verissima docere? An veritas & error simul consistere possunt? an qui persuasum habet se in eo quod docet errare posse, potest simul persuasissimum habere verissimum esse quod docet? quasi in re verissima locus esse errori possit. Ita Anonymus pugnantia loquitur, & ex vno vt dicitur ore, calidum & frigidum efflat.

Catholici Doctores quomodo

Porrò cùm & ipsi fatentur se errare posse, & res ipsa loquitur: quis non videt, quanta horum authoritas Doctorum esse debeat, qui errare docendo possunt, hoc est falsa docere? Quis cordatus in erronea

corū

eorum doctrina conquiescat? Nostri Doctores Catholici, quamuis si suos sensus sequantur, errare vt homines possint: tamen cùm doctrinam Ecclesiæ Catholicæ prædicant fidelibus, errare nullo modo possunt, sicut nec ipsa Ecclesia Catholica, *quæ est columna & firmamentum veritatis*: & ideo Catholici fideles conquiescere in eorum doctrina possunt, & debent. ex quo magnam consolationem in animo percipiunt, quam non habent quicunque Catholici non sunt, ipsismet aduersarijs testibus. *errare non possunt.*

At vti hoc verum dicunt, quòd errare possint; ita illud falsum, quòd se pro Apostolis & Prophetis non gerant. Demonstratio est manifesta: Quicunque munus Apostolicum sibi vendicat, is se pro Apostolo gerit; Apostoli siquidem ratione sui muneris Apostoli sunt, & dicuntur: Ministri verò Euangelici munus Apostolicum prædicandi, & Sacramenta ministrandi sibi vendicant. Gerunt igitur se pro Apostolis. nã pro Prophetis non est quòd se gerant, cùm nihil vnquam veri prædixerit Spiritus mendacij in ore ipsorum.

Quanquam & id quod dicunt, suos Ministros non se gerere pro Apostolis, concedi quadam ratione potest. Apostoli enim non sunt, cùm à missione Apostoli nomen acceperint. Cum igitur ministri Euangelici suam missionem nec velint, nec possint ostendere, hoc ipso Apostoli non sunt; & tamen quia Apostolicum munus sibi assumunt, ex ea parte pro Apostolis se gerunt.


Iam cùm dicit suos Ministros non afferre nouam doctrinam, sed acceptam ab Apostolis, & in sacris literis consignatam; id tantùm à vero abest, quantum *Euangelicorum doctrina noua*

Ephes. 4. à cœlo terra. Nam doctrina Apostolorum non perijt in mundo cum Apostolis, sed ad finem vsque mundi perpetuari debuit, *ad consummationem Sanctorũ, donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum.* At isti toti antiquitati contradicunt, nihilque illis est æquè difficilè, quàm vt ex tota antiquitate vnum aliquem Euangelicum fidelem proferant, qui eam in omnibus fidem tenuerit, quam ipsi modo prædicãt.

Hæresis Euangelica ex multis hæresibus conflata.


Sparsæ quidem fuerunt variæ hæreses, in varijs hæreticis, diuersis sæculis & locis, in quibus quædam nostrorum Euangelicorum dogmata inueniuntur: at quæ isti in vnum collegerunt, nullus ante ipsos collectè docuit; verùm quidquid mali seu venenatæ & pestilentis doctrinæ erat in diuersis hæresibus, ea isti in vnam hæresim Euangelicam coagmentarunt, & ex varijs hæresibus vnam hæresim effecerunt. Qui igitur fieri potest, vt isti doctrinam Apostolicam profiteantur, quam tota antiquitas non solùm non agnouit, sed etiam repudiauit, & damnauit?

Ex his facilè colligere quilibet potest, qualis sit ea Anonymi demonstratio, in qua neque Propositio, neque Assumptio vera est, quare neque Conclusio, quæ inde infertur, vera erit.





Ad



Ad candidum Lectorem.

Habes candide Lector, Demonstrationes decem ad falsos Ministros Euangelij cognoscendos. Tuum erit eas expendere ea diligentia, quam cura salutis à te exposcit, eo candore, qui rei sacrosanctæ debetur. Tantummodò tuipse præconceptæ opinionis velamen à corde amouere velis, perspicies profectò, Deo *bene adiuuante, & vnico hoc ipso labore, te à varia & multiplici laborum, & molestiarũ ærumna expeditũ senties, finemque tandem aliquando dubitandi & disputandi de alijs fidei articulis facies, hoc vno contentus, quòd eos Magistros sequendos elegeris, qui tibi erroris causa esse non possunt, eos verò refugiendos duxeris, quos certum est legitimos non esse, aut verò vllo modo esse posse.*